mat, quibus ocyſſimè advolet uſque ad extrema maris, & ita transferendum erit, *ſi ex ipſa aurora ſumſero pennas*. Vel ſi à parte Orientali uſque ad Occidentalem velociſſimè veluti avolet. Vel juxta aliam translationem, *ſi pennas diluculi*, ſeu *auroræ aſſumſero*. Poeticè nimirum loquitur, ut cùm Solem gigantem nominavit exultantem *ad currendam viam a*; & alius Propheta *b* pennas eidem attribuit quum ſanitate in ipſis, nimirum veluti pennatis radiis. Etenim, ut ille *c* cecinit, eſt

a Pſ. 18. 6
b Malach. 4. 2
c Virgil. 4 Aeneid.

Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtrat.

d ibid.

Idem *d* Mercurii

— Pedibus talaria nectit
Aurea, quæ ſublimem alis ſive æquora ſupra
Seu terram rapido pariter cum flamine portant.

e Lycophr. in Alex.
f 2 ad Monimum c. 6

Finxerunt præterea *e* alii Pegaſo vectam, ſeu πηγάσου κραιπνοῖς πτεροῖς, *Pegaſi velocibus alis auroram*. Arabicum Pſalterium habet, *ſi accepero pennas meas ſicut aquilæ*. In Romano Pſalterio, apudque Hilarium, Arnobium, Caſſiodorum, Fulgentium *f*, *ſi ſumſero pennas meas ante lucem*: B ſed ultimis legit; *& ſi aſſumſero*. Ante lucem dicunt clariorem & ſolarem, quia diluculum, vel aurora, lucem habet dubiam, velutique mixtam tenebris. In Pſalterio Ambroſiano, *ſi aſſumſero pennas meas à matutino*. Vetus Pſalterium, Auguſtinus, Proſper; *ſi recipiam pennas meas in directum*. Gaudentius Brixienſis *g*, *ſi ſumſero pennas meas in directum*; quaſi legerint, non ut legi debet, κατ' ὄρθρον *ſecundum auroram*, ideſt, vel ſub auroram, & ex ea parte, unde illa exoritur: vel *ſimiles auroræ* pennis pennas; ſed κατ' ὀρθόν. Ita etiam procul dubio legit Apollinarius.

g tract. 14

Ἢν δὲ καὶ ἰθυπόρους πτέρυγας ἀνέμοισι πετάσσω.
Si vero etiam recti gradas alas ventis extendero.

h de Tr. c. 6
i de anima & ejus orig. c. 16
k Pſ. 53. 7

Novatianus *h* denique utitur alia lectione, *& ſi aſſumſero alas meas*, nullam faciens de *diluculo* aut de *luce* mentionem. Auguſt. *i* alibi, confundens minor hunc locum cum alio *k*, citat. *ſi aſſumſero pennas meas ſicut columbæ*, quamvis hic myſticè accipiat *pennas* pro gemina charitate: Gaudentius pro fide: Ayguanus exponat duplex teſtamentum, ſpem & amorem reſpectu futurorum, timorem & pœnitentiam, reſpectu præteritorum, vel ſimpliciter amorem & fidem. Sed facit vim Hilarius in pronomine *meus*: ut deſignet virtutem propriam, qua Chriſtus aſcendit. Ut & alii in *recipiendi* verbo attendunt, quod hujus virtutis uſum, quaſi antea ſuſpenſum, exercuerit. Immerito Faber tam acriter contendit tollendum pronomen, quod non ſit in Hebræo textu, & quia indicat poſſeſſionem alarum, quas Propheta nullas habebat. Videtur hinc dotem agilitatis in corpore glorioſo Hilarius colligere, *ut ſumere pennas* ſit corpore non gravari & demutari terrena corpora in ſpiritualem naturam. Citat etiam ex Eſaia *l*, *pennigerabunt* (*volabunt*) *tamquam aquilæ*, naturam evolandi in cœlum, in reſurrectionis, inquit, demutatione ſumturi. Sed universè ac abſolutè deſcriptio hæc eſt celeris motus & fugæ, quemadmodum pennæ columbæ, quas optabat David *m*, & illæ, quas dari Moab præcipiebat Jeremias *n*; *date alas Moab*; vel pro eo quod legimus, *date florem*. Rabbini exponunt nomen ציץ *ſits*, quod extat hoc etiam loco: præterea quas in muliere illa vidit Joannes *o*. Eamdem ſimilitudinem ex diluculo uſurpat Oſeas *p*; *Quaſi diluculum præparatus eſt egreſſus ejus*. Elicit Grevæus *q* tropologiam diluculo volandum, ut primis motibus obſiſtamus, quia, *bene conſurgit diluculo, qui quærit bona r*; *& bonum eſt portare jugum ab adoleſcentia ſ*: *Occurrere diluculo Pharaoni t*, *in matutino interficere omnes peccatores terræ u*.

l cap. 40. 31
m Pſ. 54. 7
n cap. 48. 9
o Apoc. 12. 14
p cap. 6. 3
Tropologia
q ſerm. 3 07
r Prov. 11. 27
ſ Thren. 3. 27
t Exod. 8. 20
u Pſ. 100. 8

Et habitavero in extremis maris.) Hieron., *in noviſſimo maris*: vel, *in noviſſimis* vel, *in extremo*. In Romano Pſalterio, & apud Caſſiodorum & Gaudentium *x* *in poſtremo maris*, apud Hilarium, Auguſtinum, Proſperum, *in poſtremis*: apud Fulgentium *y*, *in noviſſimo maris*, apud Novatianum *z*, *& abiero trans mare*; Chaldaicè, *in noviſſimo Occidentis*. Ut opponantur hæc extremum, ſive extrema maris, diluculo & Orientali plagæ. Habet enim Palæſtina mare ab Occidente. Sic qui vocatur Hieron. ac Theodoretus interpretantur hoc loco de Oriente & Occidente, & alii permulti, quoniam exponuntur *extrema maris* Orienti, ubi oritur aurora. Alioquin abſolutè per *mare* ſolet intelligi meridionalis plaga, ut in pſalmo 106. *a*. *A Solis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari*. Quæ ſint A myſticè maris extrema, dixi ſatis prius. Addit Grevæus *b* amariſſima tormenta paſſionis Chriſti, in quo habitare *c* nos tamquam *in petris*, & abſcondi oportet, item profundam amaritudinem pœnitentium, vel clauſtralium. Sed quod antea retuli ex Rickelio de paradiſo terreſtri, & ſatis incertum videtur ibi Chriſtum verſatum per dies quadraginta poſt reſurrectionem: & parum aptè per *extrema maris* videtur intelligi. Poteſt hæc fugæ deſcriptio tota illuſtrari eo carmine, quo Hyllus velocem ſimul, tutamq; ſuadebat fugam *d*.

x tract. 14
y de ad Monimum c. 6
z 2. de Trin. cap. 6
a verſ. 3
Quæ ſint myſticè maris extrema
b ſerm. 307
c Jer. 48. 28
d Sen. in Hercul. Octav. actu 3

I profuge, quære ſi quid ulterius patet.
Terris, freto ſyderibus, Oceano, inferis.
Ultra labores mater Alcidæ fuge.

Etenim.) Hieronymus *etiam* quod valet גם *gam*. Solent vero LXX. καὶ γάρ uſurpare pro καί γε. Sic eſt aſſeveratio, & ſignificatur tantum abeſſe, ut quis Deum effugiat, ut etiam motus ille, quo fugere videtur, à Deo ipſo regatur & ſuſtineatur. De eadem particula dictum alias ante. Quocirca non argumentantur valide ex hac particula, qui rationem præſentiæ Dei in rebus, contendunt eſſe operationem ipſius tranſeuntem. Prius dixi, licet ratio & cauſſa hic traderetur, affirmari poſſe non cauſſam rei, ſed cognitionis.

Illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.) Eodem modo Hieron., & alii, niſi quod, *ibi*, aut, *illic*, reddunt: quæ ſenſui nihil obſtant. Vertunt quidam præterea *apprehendit*, pro, *tenebit*. Vetus Pſalterium, & Auguſtinus ac Proſper, *deducet & adducet*. Gaudentius Brixienſis *e*, *tenebit & adducet*. Novatianus *f*, *ibi manus tua apprehendet me, & dextera tua detinebit me*: ſignificant *deducet me, & detinebit me*, ſeu *retinebit*, תנחני *thancheni*, & ſequens ותאחזני *vethochazeni*: item ὁδηγήσει με, καὶ καθέξει με. Deducens in deducendo ſolet ſiniſtra dexteram deducti manum prehendere, tueri autem, vel erigere dextera, etiam detinere ac ſiſtere. Abſolutum, ac commune nomen *manus* & *lateris* pro imperfectiore, ideſt, ſiniſtro, ſumi ſolere ſæpe monui. Dexteræ tribuitur *ſuſcipere aliquem g*, *ſalvare*, ſeu *ſalvum facere h*, *facere virtutem i*, C *exaltare k*, *deducere l*.

e tractat. 14
f de Trin. cap. 6
g Pſ. 17. 36 pſ. 62. 9
h Pſ. 197. pſ. 49. 4. pſ. 59. 7 pſ. 97. 1. pſal. 187. 7. pſ. 137
i Pſ. 117. 16
k ibid.
l Pſ. 44. 5

Verſ. 11.) Et dixi, forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis.

Verſ. 12.) Quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.

Senſus loci.

QUum prius ex Dei immenſitate, præſentiaq; ſubſtantiali in omnibus rebus, locisque & ex efficaci virtute, qua præſta eſt, cuivis actioni ac motui probaviſſet fieri non poſſe, ut quis effugiat ejus notitiam & judicium; jam docet nullas tenebras eſſe poſſe tantas, quarum beneficio lateat quis vel abſcondatur. Nam *Deus lux eſt, nec tenebræ in eo ſunt ullæ m*; *lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehendunt n*, ideſt, ut accommodatitiè ſaltem interpreter, non detinent, vel impediunt: neque obrui magis D valet ſpiritualis lux tenebris ullis, quam corporalis lux Solis, tenebris externis. Quocirca quamlibet denſæ ſint tenebræ, non potuerunt quempiam obſcurare, contegere, ac ſua veluti mole adobruere, & quaſi pedibus, & calcare atque conterere. Sed nox ipſa per ſe abſcuriſſima, nullam habebit reſpectu Dei obſcuritatē, immo erit illuminatio hominis in deliciis ſuis, illuminando ſcilicet atque patefaciendo ipſum, tunc etiam quum verſabitur in deliciis nocturnis, quod eleganter explicatur ab auctore Eccleſiaſtici *o*, *oculos Domini multo plus μυριοπλασίως*, *infinities lucidiores* affirmantis *ſuper Solem*, quamvis tenebræ circumdent, parieteſque cooperiant. Denique ait, quod tenebræ non obſcurantur, ſeu non tenebreſcunt apud Deum, nec nox, ut ſolet, erit ipſi obſcura, ſed lucida quemadmodum dies: & perinde erit ſive ſint noctis tenebræ, ſive ſit lumen diei, quod attinet ad Deum; qui non minus videt uno quam alio tempore de nocte, quam de die. Laurentius Juſtinianus *p* locum hunc aptè ac commodat ad primos parentes à Dei conſpectu ſeſe fruſtra abſcondentes *q*. Quod quemlibet alium peccatorem conſiderare oporteret, ſicq; à peccato ſe abſtinere, ac ſicut in die, qui continuus, ac ſine nocte in conſpectu Dei eſt *honeſte ambulare r*. Utinam

m Joan. 1. 5
n ibid.
Senſus accommodatitius.
o cap. 23. 25
p de hom. c. 7
q Gen. 3. 8
r Rom. 13. 13

nam iſta conſideratio diſſipet omne malum, *ſicut Rex, qui* A *ſedet ſuper ſolium judicii diſſipare omne malum*, malum dicitur *intuitu ſuo a*. Nicetas *b* Nazianzeni ſcholiaſtes declarat, ac ſi diceret Propheta, tenebras illas, quibus in deliciis meis, vitæque voluptatibus diffluente circumfuſus eram, tenebras eſſe neſciebam; verum lumen eſſe arbitrabar. Hoc Nazianzenus *c* ipſe ſatis indicat, diſtinguens quaſi duplex genus ignis, & luminis veri; & fallacis. De hoc autem agens inducit Davidem ſic loquentem νὺξ ἦν περὶ ἐμὲ τὸν δείλαιον, καὶ ἠγνόουν· φωτισμὸν γὰρ εἶναι τὴν τρυφὴν ὑπελάμβανον, *nox erat circa me miſerum, & ignorabam; illuminationem namque eſſe delicias arbitrabar*. Euthymius hoc ipſum recitat ex eodem Gregorio Theologo. Hieronymus *d*, tradens illud idem de occultantibus primis parentibus peccatum ſuum *e*, & de Cain *f*, qui ſe ſi ejiceretur à facie Dei dicebat abſcondendum, transfert ad ſapientes hujus ſeculi, & hæreticorum magiſtros, & Judæorum Phariſæos, & eorum quorum ſunt in tenebris opera doctrinaque, ac ſe non intelligi dictitant. Citat & pridem ante allatum locum Amos *g*, Baſilius *h* præter nonnulla ex his locis, quam nuper etiam produximus, pro habenda præ oculis præſentia Dei, ut omne peccatum vitetur, ait, quod anima, quæ ſponſi candidiſſimam lucem ſemper in ſuo pectore ſuſcipit, per ſingula ita clamabit; quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox, &c. Agellius, negans iſtum ſenſum congruere cum editione LXX. ſive Latina noſtra, ſed tantum cum Hebræa, exiſtimat hoc ſibi velle, quæ hic dicuntur ſecundùm dictam illam priorem translationem, Deo ſummam poteſtatem eſſe, ut ex denſiſſimis ærumnarum tenebris lucem educat conſolationis & afflictis lumen prætendat, quamvis videatur ſibi malis conculcari, obrui, conteri. Fateor ita Græcos nonnullos, ut Chryſoſtomum, Baſilium, Apollinarium exponere, ac per *noctem tenebraſque*, valle intelligi tribulationes, has autem per Dei gratiam conferre lucem conſolationis, & in ſpirituales divitias converti: & apud Deum diſcrimen nullum eſſe, ut non poſſit conſolari, perinde cum quis eſt in maximis tribulationibus, atque quum verſatur in maximis deliciis. Gregorius *i* etiam tractans verba Job, *k Quare data eſt miſero lux?* tradit eumdem ſenſum, ut quia ſancti viri ita proſperitatem ſæculi deſpicientes calcant, ſicut adverſitatem ejus calcantes tolerant per magnam mentis celſitudinem, mundi ſibi & adverſa & proſpera ſubſternentes, dicant ſicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus. Ac ſi apertius dicant, ſicut intentionis noſtræ fortitudinem ejus triſtia non premunt, ita hanc nec blanda corrumpunt. At negari non poteſt priorem ſenſum longe aptius cohærere cum præcedentibus, cumque toto contextu de Dei immenſa tum præſentia, tum ſcientia, quam nec fugiendo, nec in obſcuro deliteſcendo vitare quiſquam queat. Favent vero eidem expoſitioni Hebræi cum Hebraizantibus, & Latini plures Enarratores, tum vero is, quem vocant Hieronymum, aliique præterea, & ex Græcis Theodoretus, Euthymius, Nicephorus.

a Prov. 20. 8
b in orat. 40
c ibid.
d in Eſai. c. 29. & in Jer. c. 23. & inc. 5. Prov. vel potius Rab.
e Gen. 3. 8
f cap. 4. 14
g c. 9. 2. 3. 4
h de vera Virg.
i 5. mor. c. 1 vel 2
k cap. 3. 20

Senſus myſticus.

Myſticè de Chriſto explicat Hilarius, qui ſit viſus timere in paſſione, re tamen vera non timuerit, ſed ipſamet illi paſſio deliciæ fuerit, dum portas æreas confregit, vectes ferreos contrivit, omnem poteſtatem deſpoliavit, de his in ſe triumphavit, eum, quem ad imaginem ſuam fecerat redemit, & deliciis paradiſi reſtituit: præterea D quoniam tenebræ non ſunt obſcuratæ ab ipſo, quoniam per naturæ unitatem indemutabilem habuit divinitatis, ſimilitudinem, eadem potens, quæ Pater poteſt. Eadem fere habet Caſſiodorus, *noctem* ſumens pro inferni clauſtro, quod Chriſtus illuminavit, quando poteſtatem diabuli contrivit: & *delicias* pro paradiſo, quem & latroni promiſit in Cruce *l* *tenebras non obſcuratas ab ipſo*, Scripturas divinas, & myſteria, quæ illo veniente manifeſtata & completa ſunt. Bruno Cartuſianus loqui Chriſtum ait de futura paſſione (ita ut forſitan abſque dubitatione hic ſit, ut etiam alibi,) in qua conculcent eum Judæi tenebrioſi, ſed ex parte illuminandi ac in deliciis habendi, nempe inter diſcipulos. Addi poteſt ex Chryſologo *m* translatas in Chriſto reſurrectione tenebras in lucem & noctem mutatam, ut obſcuritate defecerit, ac vicem ſuæ perdiderit ſervitutis: item, ut Judæis *occiderit Sol in meridie n*, noſtris nox illuminans evaſerit, & ſicut dies illuminata ſit. Citat ad hoc præſentem locum, ita declaret, quod ſcribitur à Matthæo *o de veſpera Sabbati luceſcente*, & quod à Luca *p* de *tenebris factis ab hora ſexta uſque ad nonam*, quæ fuit tota meridiana claritas obſcurata.

l Luc. 23. 43
m ſerm. 75 & 77
n Amos 8. 9
o cap. 28. 1
p cap. 23. 44

Immo arbitratur idem Chryſologus *q*, cum tempore paſſionis Chriſti tenebræ illæ factæ eſſent & Sol præter horam, ut ei compateretur abſceſſiſſet, claritate, quum reſurgeret, ante tempus occurriſſe, & qui ut ſuo commoreretur auctori, ipſam meridianam ſuam mortificaverat claritatem, ut conſurgeret eidem, evictis tenebris antelucanum erupiſſe. Potuit, id quidem fieri: aut fortaſſis, ſi factum eſt, ex glorioſo jam Chriſti corpore lux illa emicavit, quemadmodum ex recens nati corpore miſſum ſplendorem in nocte aliqui prodiderunt, ut poſtea dicemus. Eamdē de reſurrectione ſententiam prior ſatis clare tradidit Ambroſius *r*, qui abbreviatas horas aſſerit, & tres dies, noctesque, quibus Chriſtus prædixit ſe in ſepulchro futurum *ſ*, ſic diſtinguit, ut nox una habeatur ſpatium trium horarum obſcuratus eſt Sol *t*; pro prima die computentur aliæ ſtatim ſequentis diei horæ tres: ſecunda nox cum die, nox feriæ ſextæ cum die Sabbati: tertia nox ipſa nox Sabbati, dies autem pars ejuſdem noctis, in qua reſurrexit Chriſtus, præveniente tempus ſuum Sole, Reſurget Dominus in nocte, inquit, & erit dies in lumine reB ſurgentis, ut compleatur illud, *Et nox, ſicut dies, illuminabitur*. Hunc addit eſſe *diem illum magnum, quem vidit Abraham, & gaviſus eſt u*. Et de quo cecinit David *x*, *Hic dies, quem fecit Dominus*. Idem ſentio de feſtino hoc lumine, quo ante dixi. Quo autem pacto tribus diebus, & noctibus fuerit Chriſtus in corde terræ, non deeſt alius dicendi modus. Verum non id nunc ago. Auguſtinus, & alii referunt ad pœnitentem, ambigentem de venia, & verentem ne eum obruant tenebræ peccatorum: ſed ex alia parte ſe conſolantem, quod *ſecundùm multitudinem doloris in corde, lætificet Deus animam y*, & in ipſis tenebris, noctèque tribulationū lumine conſolationis recreat ſuos Deus, ac ſpe futuræ beatitudinis gaudere faciat; ita ut in mediis rebus adverſus prægustum quendam cœleſtium deliciarū reperire videantur: & perinde ſit eis, in hac vita nox tenebræque adverſitatis, & dies lumenque proſperitatis. Qui ſenſus parum diſtat ab eo, quem dixi Chryſoſtomi eſſe, & nonnullorum aliorum Græcorum, viderique Agellio litteralem. Arnobius declarat de Petro, ut dicat, ſi moriens non conculcabitur à tenebris triplicis negationis, C ſed ad delicias Sanctorum attigerit, fore ut nox ipſa mortis, illuminatio ſit in deliciis ſuis, & ibi habebat lucem ſuam Chriſtum, qui non patitur obſcuritatem tenebrarum, & in crucis conſpectu nox ſicut dies illuminatur.

Quo pacto fuerit Chriſtus tribus diebus, & tribus noctibus in corde terræ
q ſerm. 82
r 1. de interpel. Iob. c. 5
ſ Matt. 12 40
t cap. 27. 45
u Joan. 8 56.
x pſ. 117. 42.
y pſ. 93. 19

Et dixi,) Hieronymus, *ſi dixero*, Symmachus ἐὰν εἴπω *ſi dicam*, Sed ואמר *vaomar*, non potuit melius reddi, quam, *& dixi quia* ו *vau* cum puncto, quod hic ſuppoſitum habet, vertit temporis futuri ſignificationem in ſignificationem præteriti. Exponunt alii, *quum dixi*, vel, *etſi dixero*, vel, *dicam ergo*, ſignificat *cogitare apud ſe*, *ſtatuere ſecum*, & *proponere*, ut ſæpius occurrit in præcedentibus pſalmis.

Forſitan tenebræ conculcabunt me.] Hieronymus, *forte tenebræ operient me*. Alii, *ſaltem*, vel, *at tenebræ*, vel, *etiam occultabunt me*, aut, *conterent me*, aut, *tantum obſcuritas obſcurabit me*, aut *veruntamen tenebræ obtenebrabunt me*. Prima particula אך *ak* omnibus dictis modis commode transferri potuit, Græca autem ἄρα *præterea*, *ergo*, ut lego in commentario crediti Hieronymi. Non videtur quidem certe neceſſario exponi debere per modum D dubitantis, *forſitan*, ſeu *fortaſſe ac forte*, ac ſimiles voces Latinæ aliquando ponuntur etiam in abſoluta aſſertione, ut alibi vidimus. Licet nihilominus in ea quoque notione hic accipere cum Hilario, & aliis; & Symmachus tranſtulit ἴσως, & Apollinarius τάχα. Ultimum Hebræū verbum cum affixo ישופני *ieſciupheni* à שוף *ſciuph* ſignificat *percutere, contundere, frangere, conterere*, ut in Geneſi *z* *ipſa conteret caput tuum* ישופך ראש *ieſciupheka ros*, ſed à נשף *naſciaph propellere*; ut quidam volunt, & ad *conculcandi* verbum, atque καταπατεῖν magis facit: vel *obſcurare*, & *obtenebrare*: unde & נשף *neſceph*, *diluculum*, *nox*, *tenebræ*. Etſi vero καταπατεῖν male ſonat, nec ita videtur ſignificare protectionem & latebram, ad quam quis ſe recipiat, ut ſe à Deo liberet, ut Agellius argumentatur, contendens figurate tantum ſumi iſta omnia, quæ dicuntur de calamitatibus & moleſtiis; nihilominus ipſa moleſtiarū evitatio bonum quid cenſetur, & recte declaratur per tenebras adeo denſas, craſſas, ac, ut ita dicam, graves, quæ cooperiendo, atque ſub ſe continendo, abſcondendo, ab oculis ſubducendo, cenſeantur calcare, nec videtur, quod calcando pes premit, ſed tegit. Vertit Symmachus σκότος περισκιάσει, *tenebræ circumtegent me*.

z cap. 3. 15

Apollinarius, πατήσει, conculcabunt, ſeu terent, ut ſolent, qui iter faciunt, viam, eaque, quæ in via ſtrata ſunt, calcare. Circundant peccatorem adinventiones ſuæ, ſunt, calcare. coram facie Dei ſunt a.

Et nox illuminatio mea in deliciis meis.) Hieronymus, nox quoque lux erit coram me. Apud Victorium Fabrum, Trevetum, circa me. Alii, etiam nox lucebit propter me, vel circum me. ideſt, non magis contegit me nox, quam ſi lux eſſet meridiana: ita videbit me Deus in tenebris noctis, ſicut in luce diei: ſic illuminor, ideſt, deprehendor ac videor in nocte, ac ſi non nox, ſed clara dies eſſet Chaldaicè, nox vero lucet ſuper me. Sed apud Nebienſem contrario ſenſu, nox quoque eſt obſcuritas propter me. Quaſi hucuſque perveniat objectio, & dixi, Certe tenebræ obſcurabunt me, nox quoque eſt obſcuritas propter me. In textu Nebienſis eſt קביל אתמילתי Kevil amtulthi. In Bibliis Regiis תנהר עלי manhar hhalai. Hebr. penultima vox eſt אור or, vel nomen lucem ſignificans, vel verbum, quod valet lucere. Ultima בעדני babhadeni, quæ ultra affixum pronomen, vel ני ni, vel י i, aut eſt à בעד behhad compoſito ex ב be & עד hhad, ſignificatque ſuper, circa, &c. aut à ב be in & עדן hheden, quod valet voluptatem, delectationem, delicias: unde cognominatus hortus ille ſcilicet paradiſus voluptatis in Geneſi b, & in pſalmo 35. c mentio fit de torrente voluptatis Poſteriorem lectionem ſequuti ſunt LXX. priorem Hieronymus & Hebraizantes, cum Rabinis, immo & Symmachus ἀλλὰ καὶ νὺξ φωτεινὴ περὶ ἐμέ, ſed etiam ipſa nox lucida erit circa me: quamvis creditus Hieronymus referat ex eodem, & nox circum me ſedet: & ex Hebræa transferat ſecundū ſenſum, (è contrario autem nox ipſa apud te lumen fuit, quia nihil celare te poteſt.) Aquila quoque tranſtulit, καὶ νὺξ φῶς περὶ ἐμέ & nox lux circa me. Poſtremo pronomen mea deeſt à textu Hebræo, Græcoque, nec legit Hilarius & Paulinus d. Præter dicta de myſtico ſenſu, poteſt hic locus applicari ad noctem, qua natus eſt Chriſtus, quando claritas Dei circumfulſit paſtores vigilantes e. Refert Amedeum Caniſius f noſter ſcripſiſſe g, quod nox illa ſplendorem pro caligine, & tenebris miniſtravit, & Prophetam non temere hic de illa ſic vaticinatum, paulloque poſt, nox ſicut dies illuminabitur. Meditatur quoque pie Natalis noſter, & alii, lucem è Chriſto nato prodeuntem noctis tenebras fugaviſſe. Id Brigitta clare tradit ſibi revelatum. h Poteſt per accommodationem ſic dici, quod pavit Chriſtus, cubuitque in meridie i; quod dies illa peculiariter fuit, quam fecit Dominus k, ut alias notavimus, & canit Eccleſia in Chriſti Natali; & quod exortum eſt in tenebris lumen l. Lucas Dudenſis Hiſpanicus hiſtoricus, quē citat Petrus Meſſias m, narrat, qua nocte Chriſtus natus eſt, viſam media nocte in Hiſpania nubem tam claram, quā eſſe ſolet clara meridiana lux. Quo forte ſpectant Soles tres in Hiſpania viſi in unum coire paullatim, ut meminit etiā Thomas Aquinas n. Sed & tres Soles Romæ viſos non paucis annis ante Chriſtum natū prodidit Plinius o, Dio p, Julius. Obſequens q, Euſebius r, nempe anno primo Triumviratus, vel extremo Julii Cæſaris. Sed Plinius negat noctu viſos, aut videri poſſe, verum die oriente aut occidente, quæ nempe dicuntur παρήλια. Poteſt applicari locus hic cum Paulino ſ, ad paſſionem Domini; (in qua tamen verſus eſt in nocte dies & Sol obſcuratus) quoniam, inquit, & dies illuminavit (nemque ſpiritualiter. Videtur Cyrillus Jeroſolymitanus t referre ad Baptiſmū, qui etiam Græcè dicitur φωτισμός, in quo Deus oſtendit ἐκείνην τὴν νύκτα, καὶ τὸ σκότος ἡμεροφανές, illam noctem, ac tenebras in die apparentes. Licet item iſtam noctem accommodare ad vetus Teſtamentum, quod tranſit in illuminationem novi, in quo deliciæ gratiarum. Sed & ad eā noctem, qua lumen refulſit in habitaculo carceris, in quo detinebatur Petrus u: item ad alias non paucas, quas hiſtoriæ teſtantur Eccleſiaſticæ in carcere detentis Sanctis divinitus illuminatas: denique ad id etiam, quod Laurentius dicebat, (mea nox obſcurum non habet, ſed omnia in luce clareſcunt.) Adhæc dici poteſt nox illuminatio fides eſſe, quæ lucerna eſt lucens in hoc caliginoſo loco x; tenebras habet, quia quod non videt credit; lucem habet, quoniam continet ſummam veritatem maximam certitudinem, Dei graviſſimam auctoritatem. Noctem in deliciis Gregorius y interpretatur illuminationem eſſe, quia, dum per intellectum myſticum ſtudioſa mens reficitur, jam in ea vitæ præſentis obſcuritas diei ſubſequētis fulgore illuminatur; ut etiā in hujus corruptionis caligine in intellectu illius mens futuri luminis erumpat, & verborum de-

a Oſee 7. 2
b cap. 2. 8. 10
c verſ. 9
d epiſt. 4
e Luc. 2. 8. 9
f 4. de Deipara, cap. 10
g homil. 3. de Maria.
h lib. 7. rev. cap. 25
i Cantic. 1. 7
k pſ. 117. 24
l pſ. 111. 4
m 2. Sylva var. ar. lect. c. 33
n 2. p. q. 33 art. 3. ad 3
Soles tres Romæ viſi paucis annis ante Chriſti nativitatem.
o lib. 2. c. 31
p hiſt. R. l. 47
q in prodig.
r in Chron.
ſ epiſt. 4
t præfatio in catecheſ.
u Act. 12. 7
x 2. Pet. 1. 19
y 16. moral. c. 9. vel 10

A liciis paſta, prægustando diſcat, quid de pabulo veritatis eſuriat. Bruno proportionem notat, ut quanta fuerit cognitio ignorantiæ, peccatorumque noſtrorum, tanta ſequatur illuminatio fidei & gratiæ. Adde oppoſitum, ut quantum lumen fuerit ſæcularis gloriæ ac proſperitatis, tantæ ſint poſtea tenebræ, quantumque glorificaverit ſe, & in deliciis fuerit, tantum detur tibi tormentorum, & luctus z. Eſt inſuper nox illuminatio in deliciis, noxque ſicut dies illuminatur, & ſicut tenebræ, ita lumen iis, qui magna animi voluptate, quo tempore alii corporis indulgent etiā licitæ voluptati, vacant orationi & commentationi rerū cœleſtium, jungentes in hoc exercitio diei noctem; immo nocturnis horis majora ſpiritualia lumina recipientes & conquerentes interpellari etiam ſuum adventu negotioſi Solis noctē verti diem, ſeu potius quod ex nocte externa, quæ dies ipſis internus erat, in externum diem, quæ velut nox ipſis externa eſt, ſomnuſque, vacatio, vel intermiſſio ſpiritualium ſtudiorū, neceſſario tranſeundum ſit. Antonium narrat Caſſianus a quum in exceſſu mentis frequenter ipſo orante Solis ortus cœpiſſet infundi, in fervore ſpiritus proclamaviſſe; Quid me impedis, Sol, qui ad hoc jam oriris, ut me ab hujus veri luminis abſtrahas claritate: Bernardus ad fratres de monte Dei, diſputando de vita ſolitaria, hortanſque ad parcum ſomnum, adjicit, ut iturus ad illum ſemper aliquid deferat ſecū in memoria, vel cogitatione, in quo placide obdormiat, quodque nonnunquam etiam ſomniare juvat, & evigilantē excipiens in ſtatum heſternæ intentionis reſtituti: ſic fore, ut nox illi ſicut dies illuminetur, & ſit illuminatio deliciis ejus. Nec aberraveris, ſi nocti tribuas illuminationem, ideſt, nocturno tempori contemplandi, & ſcientiam comparandi commoditatem Idcirco noctuam Græci Minervæ aſſignarunt, quæ noctu videt, & interdiu deliteſcit, ἐν νυκτὶ βουλὴ τοῖς σοφοῖσι γίνεται, ait Epicharmus. Idem Bernardus b diſſerens de Gerardi fratris fœlici obitu circa medium noctis, ait, eumdem pie alloquens, Jam tibi, frater mi, nocte adhuc media dieſcebat, nox ſicut dies illuminabatur, prorſus illa nox illuminatio tua in deliciis tuis.

Quia tenebræ non obſcurabuntur à te.) Hieronymus, nec tenebræ habent tenebras apud te. Symmachus, οὔτε σκότος σκοτεινὸν ἔσται ὑπέρ σε, neque tenebræ erunt tenebricoſæ ſuper te. Alius apud Chryſoſtomum legit, παρά σοι apud te, pro ἀπὸ σοῦ, cetera, ut LXX. ὅτι σκότος οὐ σκοτισθήσεται, quoniam tenebræ non obtenebrabuntur. Alii etiam, vel ſiquidem, vel ſed ne tenebræ quidem occultant aliquid à te. Ideſt, neque tenebræ ſic tenebreſcent, & nullæ tantæ erunt, adeove obſcurare quidpiam valebunt, ut latere te poſſit, & id non perſpicias. Omnia nuda, & operta ſunt tibi nec eſt inviſibilis creatura apud te c. Oritur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ, (ideſt, reſpectu tui) ſunt ſicut meridies d: revelas profunda & abſcondita & noſcis in tenebris conſtituta, & lux tecum eſt e: illuminas abſcondita tenebrarum, & manifeſtas conſilia cordium f: dixiſti, de tenebris lucem ſplendeſcere g lux es, & tenebræ in te non ſunt ullæ h. Plus quam lynceis oculis es, & in infinitum ſuperas videndi facultate illos, qui dicuntur (ſi tamen vere, de quibus alias) exiſtentes in terræ viſceribus latices cernere. Vincis quotquot in tenebris ipſis nocturnis videre produntur, ſive animalia alia, ſive homines. Tiberium narrat Suetonius noctu expergefactum haud alio modo paulliſper contuitum omnia, quā luce clara faceret, paullatim tenebris ſeſe obducentibus. Tantundem de ſeipſis Rhodiginus i, & Cardanus k memorant. Auguſtinus hoc loco docet, quod qui ſua peccata defendit, obtenebrat tenebras ſuas; qui confitetur, meretur, ut Deus, quod eſt in alio pſalmo l, illuminet tenebras illius. Et quando evades, ait, à duplicibus tenebris, qui in ſimplicibus laborabas; Addi poteſt Chriſti ſententia, m Si lumen, quod in te eſt, (aut videtur eſſe) tenebræ ſunt, ipſæ tenebræ quantæ erunt? Directo ad hæc ad Chriſtum ſermone, & ad Deum, ſignificatur, quod nullæ, quantæcumque peccatorum tenebræ obſcurare poſſunt benignitatis ipſius infinitum lumen.

Et nox ſicut dies illuminabitur.] Hieronymus, & nox quaſi dies eluceſcet. Quo pacto etiam Symmachus, ἀλλὰ καὶ νὺξ ὡς ἡμέρα φαίνεται, aut φανεῖ, ſed & nox ſicut dies videbitur, vel videbit. Hebræū verbum יאיר jair eſt activum, ſicut & priore membro, יחשיך jachaſcich. Nox ſicut dies illuminatur reſpectu Dei, quia tenebræ non obſcurantur, ideſt, non abſconduntur ab illo. Nox quoque ſicut dies illuminat, quia tenebras non habet, ſed ſicut dies lucet, & res in ea videntur, vel ipſamet illas videt. Non eſt perfodiendū in pariete foramen, ſicut fecere Ezechiel

juſtus

z Apoc. 18, 7
Nox, quam dies contemplationi aptior.
a coll. 9. 31
Cauſſa cur Græci Minervæ noctuam aſſignarint.
b ſerm. 26 in Cantic.
c Hebr. 4. 13
d Eſa. 58. 10
e Dan. 2. 22
f 1. Cor. 4. 5
g 2. Cor. 4. 6
h 1. Joan. 1. 5
In tenebris nocturnis clare videntes quidam.
i lib. 15. c. 1
k 8. de rerum var. cap. 43
l pſ. 17. 29
m Matt. 6. 23
Nullæ peccatorū tenebræ benignitatis lumen obſcurare poſſunt.

juſtus eſt a, ut videat Deus, non aperienda cordis feneſtra, quemadmodum optabat Momus. Omnia, aut adhuc repetendum eſt, nuda & aperta ſunt oculis Dei b, τετραχηλισμένα decollata, ut ſolet collum denudari, cervicéque, ac inde inchoari excoriatio pecudis, aut alterius animalis, uſque ad caudam.

Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.] Hieronymus, ſimiles ſunt tenebræ & lux; quod refert Chriſoſtomus Græcè alium tranſtuliſſe, ὅμοιον τὸ σκότος, ὡς τὸ φῶς. Apud Deum tenebræ ſunt ſimiles luci, & lux tenebris. Pronomen nullum eſt Hebraicè, ut nunc ſunt puncta ſine mappic, in littera ה he, quod indicat pronomen fœmininum; ſi vero deſit, nullum uſum alium habet, quam ſimplicis paragoges ſive additionis. Legerunt LXX. ut pronomen hoc modo חשיכה & אורה chaſechah, & orah, cum mappic. Græcè eſt fœminini generis pronomen duplex αὐτῆς, ita ut quod, ait Euthymius, primum ſpectet ad νύκτα noctem, ſecundum ad ἡμέραν, diem. Rem permagni momenti exaggerat valde noſter Propheta, inculcando quater, Deo nihil obſcurum & incompertum. Obſervavit Eugubinus, confirmans quoque Pindari teſtimonio, quo pronuntiat, Deo facile eſſe in nocte terra puram accendere lucem, ruſuſque lumen obſcurare nitidum nocte obſcura. Documenta edita hinc in tenebris Ægyptiacis c, eclyſique Solari d, hinc in columna ſplendente, quæ noctu deducebat Hebræos e. Procopius f myſtico ſenſu videlicet, ut prædici futuros ex Gentibus in Eccleſia Principes, ut ſi dealbata, quæ nigra fuerat; & ubi abundavit delictum, ibi ſuperabundet & gratia g. Philo Carpathius legens ex Cantico canticorum i. Nolite me deſpicere, conſiderate quod fuſca ſim, quoniam circumſpexit me Sol, exponit lumen ſuccedere tenebris ignorantiæ ac infidelitatis, & vitiorum per Baptiſmum, Generaliter quoque ſecundum tropologiam dici poteſt, quod juxta tenebras tribulationum erit & lumen conſolationis, & compatiens Chriſto in nocte paſſionis, conglorificabitur eidem in lumine reſurrectionis illius k & ſocius paſſionum erit, & conſolationis ejus l: & juſtus non minus lætatur adverſis, quam proſperis, Gregorius m, & Arnobius hoc loco argumentatur contra Manichæos, qui alterum Principem, ſeu Deum tenebrarum aſſerebant, alterum lucis. (Tenebræ enim, inquit, non omnibus creaturis obſcurum faciunt, ſiquidem & feræ pene omnes, ſed & caſtæ noctium nullum patiuntur obſcurum; ſed & aves multæ ſunt, quæ in noctibus volant. Unde docemur, naturam oculos noſtros à Creatore hanc eſſe ſortitos, ut in tenebris videre non poſſint. Deus enim ad requiem hominum noctes inſtituit, ut generationis humanæ quieti poſſit eſſe conſultum. Ipſius ergo ſunt tenebræ, cujus eſt lux; quod Manichæus negat: Inſe eſt etiam Creator corporum noſtrorum, &c.) Sic ille, ubi pronomen ejus videtur ad Deum referre, cum tamen ut prius monui, ad diem ac noctem referatur; utpote αὐτῆς Græcè fœminini generis. Ut idcirco argumentum hic contra Manichæos non ſatis firmum ſumatur.

Verſ. 13.) Quia tu poſſediſti renes meos, ſuſcepiſti me de utero matris meæ.

QUod hactenus tam ſæpe, adeoque exaggerate pronuntiavit ac probavit, Deum in tenebris videre, & nihil ei obſcurum eſſe, quantumlibet ſit intrinſecum & abſconditum; oſtendit adhuc magis ex formatione membrorum internorum noſtri corporis intra ventrem matris, quod præſtat in iſto verſu, & in 15. & 16. interrumpens in 14. præ admirationem, cum apoſtrophe nova ad Deum. Igitur hic demonſtrat hinc apparere, quod perinde ſit Deo nox & dies, tenebræ & lux; denique quod nihil eum prorſus lateat, quia ipſemet formavit, ac ſuos effecit, formando renes noſtros, partes illas abſconditas, & ſecretas: & quas nonnulli putant primas in nobis formari: atque idcirco reſidentes in iis cupiditates, affectus, deſideria; unde & ſcrutator dici rerum ſolet n: immo & nos totos in utero materno latentes, formandos ſuſcepit, & formatos conſervavit, fovit, provexit, in lucem produxit, ac veluti obſtetricantibus manibus excepit, protexit, educavit. Quia finxit Deus ſigillatim corda hominum intelligit omnia opera eorum o: propterea ſimul appellari ſolitus renum ſcrutator, & cordium p, nec non cogitationum q. Nectit aliter Chryſoſtomus iſta præcedentibus, & demonſtrat, quod magna potentia & ſcientia Dei, quæ prius prædicatæ ſunt, perti-

a cap. 8. 8
b Hebr. 4. 13
c Exod. 10. 21. 22
d Matt. 26. 5
e Exod. 13. 21
f in Eſa. c. 23
Expoſitio myſtica
g Rom. 5. 20
h in Cantic.
i Cantic. 1. 6
k Rom. 8. 17
l 2. Cor. 1. 7
m 6. moral c. 3. al. 2
Contra Manichæos, Deum alium lucis, alium tenebrarum ferentes, argumentum.
Senſus liter.
n pſ. 7. 10 Sapient. 1. 6. Jer. 16. 10 Apoc. 2. 23
o pſ. 32. 15
p pſ. 7. 10. Jerem. 17. 10 Apoc. 2. 23
Sap. 1. 6.
q Sap. 6. 4

A neant ad utilitatem noſtram. Sed aptior, quam nunc dixi, connexio. Auguſtinus tropologiam perſequens cum ſuis, vult rationem reddi, quare res adverſas & ſecundas juſtus eodem loco habeat, æſtimetque rationem eadem, quoniam poſſeſſor renum noſtrorum Deus eſt, atque cogitationum & delectionum noſtrarum, & extrahens ſegreganſque nos de utero matris r Babyloniæ, facit per ſuam gratiam ut non acquieſcamus carni & ſanguini, nec aliud noverimus malum, niſi offendere Deum, & non perduci ad æterna bona, quæ promiſit; nec bonum, niſi promereri Deum, & perduci ad illa, quæ promiſit. Idem ſibi vult Ambroſius ſ, dum ad virginitatem hortans, ait, nos per eam poſſideri à Chriſto, & ſic fieri, ut in renibus ſeminaria maneant caſtitatis, incentiva virtutum. Hilarius, Caſſiodorus, Bruno allegoricè interpretantur de Chriſto, qui ſuos ait renes poſſeſſores à Patre, hoc eſt, cœleſtis juſtitiæ firmitatem, ut peccatum fragilis corporis ignoraret, omniaque ad voluntatem Patris opera referret, inde ab ipſo matris utero ſuſceptus. Præterea Caſſiodorus docet, ventrem matris Synagogam vocare, quoniam ab ea ſecundùm carnem generatus eſt, atque circumciſus, ſuſceptum vero à Deitate Patris, ſive ſua, quæ eadem eſt. Arnobius de Petro pœnitente declarat, qui agnoſcat à Deo conſiderari non ſolum cogitata, ſed & cogitanda, & quidquid ab ortu ſuo ſemiſonis balbutientis infantiæ verbis forte peccaverit.

Quia tu poſſediſti renes meos.) Vetus, Romanum, Ambroſianum Pſalteria, Hilarius, Auguſtinus, & Proſper, Caſſiodorus addunt Domine, & eſt Græcè κύριε in emendatis Bibliis, pro quo ponit Apollinarius βασιλεῦ Rex, Poſſidere, & κτήσασθαι Hebraicè dicitur קנה Kanah. Hoc videtur ſignificare productionē cum poſſeſſione, ſive ratione productionis poſſeſſionem, quia nihil eſt tā alicujus jure naturali, quam quod producit ex ſuamen ſubſtantia. Habet Arabica editio, etenim tu creaſti cor meum. Hac de cauſſa primogenito ſuo Eva impoſuit nomen Caī, dicens; Poſſedi hominem per Deum t. Unde nonnumquam redditur per creare, & κτίζειν ut quando dicitur Deus creaviſſe cœlum & terram u, & mox x idem vocatur poſſeſſor cœli & terræ: quandoque facere uſurpatur pro eo, quod eſt acquirere poſſeſſionem, quo pacto ſcribitur Abram feciſſe animas in Haran y: denique interdum omnia tria conjunguntur, ut magis rem explicent z, Pater tuus, qui poſſedit te, & fecit te, & creavit te. In libro Proverbiorum a quod Latinè ſcribitur, Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum. Hebraicè eſt, קנני Kanani, Græcè ἔκτισέ με Chaldaicè, בראני barani. Ubi duarum ultimarum linguarum verba ſignificant creare, primæ creando, ſeu producendo poſſidere. Quum autem eo loco ſermo ſit de Verbo Dei, & divina Sapientia, Ariani probabant creatam eſſe: aliquid Catholicorū exponebant de Chriſto, ut creatura, ſive de Sapientia divina, & Verbo Dei, ut incarnato, & ut facto initium viarum Domini, quatenus in humanitate præbuit recte vivendi exemplum. At Hieronymus reponendum contendebat quum Aquila ἐκτήσατο poſſedit, Poſita notione Hebræi verbi, perinde eſt utrumvis verbum Græcum & Latinum retineatur. Quin etiam κτίζειν de avis nidificatione dicitur, quum pullos in nido generat, & excludit. Qua ratione melius etiam exprimitur conſubſtantialitas Filii, quem ſcilicet Pater creaverit, ideſt, produ-

D xerit, ut ex propria ſubſtantia. Vulgo nunc tamen creandi verbum: & κτίζειν quum de divina generatione agitur, vitari debent, quia non ſatis bene ſonant. Monuit de his recte Agellius. Adjice generationem æternā Filii vocari creationem, non quia fit ex nihilo, ſed ut ſignificetur eſſe abſque ulla mutatione tum producentis, tum producti, ſive generantis, & generis, ut in quadam Synodo Orientali teſtatur Hilarius b explicatum. Itaque renes poſſidere, eſt eos creare & facere, tituloque creationis & effectionis poſſidere. Poſſident etiam genitores, ſed & Eva dixit c, per Deum, ideſt, illius munere, ac beneficio; maxime vero propter animas, quæ, à Deo ſolo immediate fiunt per creationem, & in corpora infunduntur. Renes Deus poſſediſſe, ideſt, feciſſe, formaſſe, creaſſe dicitur, non tantum circum loquendo à parte totum, ut cùm Chryſoſtomo ſentit Euthymius; nec ſolū renum nomine cor, & alias internas partes intelligendo, verum etiam propter peculiarē cauſſam; vel quia, ut ex anonymo Genebrardus, refert, primi formantur tamquā duo poli ſphæræ; quod Medici non probant, aſſerentes formari ante alias partes cor, cerebrū, jecur: qua de re Dandinus d noſter, & ante illum ex Medicis Ferdinelius e, Ludovicus Mercatus f, Ludovicus

Tropologia
r Gal. 1. 15
ſ de hort. ad virgin. & ep. 37. edit. Roman.
Cauſſa, cur Eva impoſuerit primogenito ſuo nomen Cain.
t Geneſ. 4. 1
u cap. 14. 19
x verſ. 22
y cap. 12. 5
z Deut. 32. 6
a cap. 8. 22
b de Synod.
c Geneſ. 4. 1
d 2. de corp. animato, digreſ. 28 & 7.
e de hom. procr. cap. 20
f de mulier. affect. 1. c. 6

Bonaciolus *a*, Albertinus Bottonus *b*, Petrus de Peramato *c*, Ambroſius Peræus *d*, Pineda *e*, noſter, Opinioni de renum prima formatione Ariſtoteles favet apud Plutarchum *f*, exiſtimans lumbos primum abſolvi tamquam carinam navis: vel quoniam in renibus, juxta nonnullos, domicilium eſt τοῦ ἡγεμονικοῦ partis principis, ſive rationalis. Quod per ſe, ac immediate non videtur verum, quum potius animo aſſignandum ſit caput pro domicilio; ſed ad animi opera cum primis neceſsarii ſpiritus animales ex puriore ſanguine procreati ſuppeditantur præſertim à corde, adjuvantibus ad idem præcordiis, quæ ſunt circa cor, è quibus ſunt renes, qui continent receptacula genituræ, ferventioriſque commotionis & delectationis. Unde tot inſomnia & cogitationes Græci φρένας, *præcordia*, velut φρενὸς ſedem, & ὡς μετεχούσας τῶν φρονεῖν, & μεσόφρενον, partem inter dorſum & lumbos mediam, qua renes adjacent. Repete, quæ dixi pſalmo 7. *g* ad ea verba, *Scrutans corda, & renes*, & 15. *h Increpuerunt me renes mei*, & 25. *i Ure renes meos, & cor meum* & 75. *k Renes mei commutati ſunt*,

a Oenead. mulieb. c. 3 · *b 1. de morb. mulieb. c. 22 23. 25* · *c de hom. c. 4* · *d de homin. generc. c. 9. 10* · *e 1 de reb. Salom. c. 9 10* · *f 5. de placitis, c. cap. 18* · *g verſ. 10* · *h verſ. 7* · *i verſ. 7* · *k verſ. 22*

Suſcepiſti me de utero matris meæ.) Hieronymus, *orſuſque es in utero matris meæ*. Alii, *& texiſti me*. Quaſi B cum Job *l* diceret, *Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus, & nervis compegiſti me*, ſive *cooperuiſti*: Teſtatur autem is, qui putatur Hieronymus, in commentario ab editione Quinta tranſlatum, *conflaſti me*. Chaldaice, *fundaſti me*, ſive *jeciſti fundamentum mihi*. Significat תסכני *theſuecheni*, *operuiſti me, texiſti, protexiſti, obumbraſti, obduxiſti re aliqua ſuper poſita, ut ſepimento*. In pſalmo *m* ſequenti exponit *obumbrandi* verbo. Unde pro *tabernaculo, umbraculo, tegmine, aulæo tentorio*, מוסך מסך סכה סוך *muſech, maſach, ſucchah, ſoch*. Græcum ἀντελάβου valet *apprehendiſti, ſuffulciſti, ſuſtentaſti, adjuviſti, defendiſti*: quod fit etiam defendendo, ac protegendo: quod explicat Apollinarius per ἄλκαρ, *auxilium*. Quare non eſt hic præpoſterus ordo, ut Hugo tamen voluit, quaſi prius ſit ſuſcipere, quam poſſidere, ut patet ex dictis; præterea, quia cum ſequenti deſcriptione formationis humani corporis intra uterum, congruit magis, ut ſuſceptionem illam de eadem interpretemur; quamvis verum ſit, valde neceſsarium eſse auxilium Dei, qui egreſsum de utero fœtum adjuvet. Hebraice extat בבטן *beveten*, *in utero*, ita ut ἐκ γαστρὸς & *ab utero*, ſignificet inde ab ute- C ro, dumque adhuc eſset in utero; ſicut illud *n*, *Dominus ab utero vocavit me, de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei*, hoc eſt, ab ipſa conceptione, ac dum eſsem in utero. Tametſi ibi ſit præpoſitio מ *min*, & ἐκ. Intra uterum contectio & protectio fœtus attendi poteſt panniculus varius, quo involvitur Χόριον ſecundina adhærens vulvæ, ἀλλαντοειδὴς & inteſtinalis, ſarcimini ſimilis; ἄμνιον à mollitudine, qui proxime fœtum continet. Chryſoſtomus alibi *o* exponit de figuratione in vulva, & de animatione fœtus. Ambroſius *p* ait, quod ſuſcepit nos Deus, quando finxit; ſuſcipit, quando jubet naſci: & confirmat ex Jeremia *q*. *Priuſquam te formarem in utero, novi te, &c.* Qui format, & exeuntes quoque, inquit, ſuſcipit Suſceptor eſt, qui ſuſceperit manibus, ut generis humani operator dicitur; & qui viſitatione ſuſceperit, ut protegat. Prima ſuſceptio eſt operationis, ſecunda defenſionis. De eadem iſta Dei cura circa formationem fœtus, idem Eſaias meminit, appellans *facientem & formantem, atque auxiliatorem ab utero*, & *formatorem ex utero s* Noſter autem David *extractum ſe cecinit de ventre matris à Deo t*, *illum ſpem ſuam fuiſſe*, D *ab uberibus matris ſuæ u*, *in illum ſe projectum ex utero, & de ventre matris ſuæ Deum ſuum eſſe x*. Item quod *in eum confirmatus ſit ex utero, & de ventre matris ſuæ protector ſuus y*. Ex his locis Origenes *z* colligi ait, cuſtodiam Angelicam incipere mox à nativitate cujuſque. Alii hoc loco, & illis aliis, prætereaque Tertullianus *a*, videntur interpretari de unione hypoſtatica & ſuſceptione humanæ naturæ ad illam unitatem. Digredi liceret in admirabilem formationem fœtus, quæ deſcribitur adhuc ſequentibus verſibus. Citat hoc loco diſputantes de illa Bochius Ariſtotelem *b* & Plutarchum *c*, Galenum *d*, Gellium *e*, Cenſorinum *f*, Plinium *g*, Macrobium *h*, Auſonium *i*. Federicus etiam Bonaventura in opere de octomeſtri partu, non pauca diſputat ad idem argumentum ſpectantia, præterea Dandinus noſter in libris de corpore animato *k*.

l cap. 10. 11 · *m verſ. 8* · *n Eſa. 49. 1* · *o in Geneſ.* · *p in pſ. 41* · *q cap. 1. 5* · *r cap. 44. 2* · *s verſ. 24* · *t pſ. 21. 10* · *u ibid.* · *x verſ. 11.* · *y pſ. 70. 7* · *z tract. 5. in Matt.* · *a de carne Chriſti c. 21* · *b 7. de hiſtor. an. c. 3.* · *c 4 de plac. hiſt. cap. 21* · *d de fœt. form.* · *e lib. 3. c. 10* · *f de natali die c. 7. 8. 9 11* · *g lib. 7. c. 5* · *h in ſomn. Scipion. c. 6* · *i in eclogario, ſeu idyllio, de ratione puerperii maturi.* · *k l. 2. digreſ 28*

A *Verſ. 14.*) Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es, mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcit nimis.

ANtequam procedat ulterius in deſcribenda admirabili formatione corporis humani intra matris ventrem, raptus quodammodo in opificii tanti admirationem, tam ſingulari & eximia ſcientia, ſapientia que Dei facti proponit ſe illum laudaturum, eo quod terribiliter terrore admirationis, atque reverentiæ magnificatus eſſet. Nam in uno inquit, opere, opera inſunt plura mirabilia, quæ anima mea cognoſcit nimis, ideſt, pluſquam ſatis perſuaſa eſt eſſe magna, & mirabilia, quæque idcirco nequeat pro dignitate intelligere & comprehendere: ſed ſemper ſupereſſe intelligat, ubi vim intelligendi magis, ac magis exacuat & exerceat. Qui cœli amplitudinem, luminis Solaris ſplendorem, vaſtitatem maris, & aliarum rerum magnitudinem vel oculis conſiderat, vel corporis intuetur, nec mente complecti ſe, viſuve corporeo integre poſſe cognoſcit, æſtimat ſuperari capacitatem ſuam ab earum præſtantia. Sic eſt de opere iſto, ac multo adhuc magis de aliis perfectioribus Dei. Quare quod B hic dicitur, *& anima mea cognoſcit nimis*, non repugnat præcedenti pſalmi hujus *l* ſententiæ, *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, confortata eſt, & non potero ad eam*. Cognoſcere ſe nimis, ait Propheta, quod *ſint opera Dei mirabilia*, & quod *ſit terribiliter magnificatus*, hoc eſt, quod magnifica opera patrando, terrorem incutiat admirationis & reverentiæ. Auguſtinus ibi ait, attendiſſe ſe Prophetam ſecundum vires ſuas proprias; hic ſecundum communicatas per gratiam, quæ illuminavit tenebras faciens ſimul ut laudetur Deus, tanquam terribiliter mirificatus, & ut gaudeat ipſe cum tremore, ac de bonis ejus extollens ſe per ſuperbiam, mercatur amittere, quod humilitate percipit. Chryſoſtomus reſpondet ibi loquutum Davidem de Deo ipſo, hic de operibus; vel hic aſſerere, quod noverit eſſe admirabilem, magnum, excelſum: non autem quod ſit ſubſtantia, quonam modo ſe habeat ejus majeſtas & magnificentia, quiſnam ſit modus eorum, quæ dicta ſunt: immo eam ipſam ignorationem eſſe argumentum cognitionis, etiamſi ſit mirabile, quod dictum eſt. Hilarius, qui legit in prima perſona, *mirificatus ſum*, explicat de Chriſto, qui confeſſionem omnem terribilis de ſe admira- C tionis ad gloriam divinæ ſubſtantiæ ſuæ reddat, & Patri ſimul adſcribat, & ſe noſſe nimis, ſeu valde dicat per eam fiduciam, qua dixit *m*, *Pater in me, & ego in Patre*. Mirificationem Hilarius refert ad præcedentia, quia *Deus poſſidet renes ejus*, quia *à matris utero ſuſceptus eſt*, mirificationem terribilem, quoniam hora Crucis tenebræ factæ ſunt, tremuit terra, ſaxa rupta, patefacta ſepulchra, mortua enim ſurrexerunt, in eodem corpore poſt reſurrectionem conſpectus eſt, clauſis januis ſoli ſibi penetrabili aditu aſtitit, ad cœlos elevatus eſt, Apoſtoli Gentium linguis loquuti, umbræ eorum morbis medicinam attulerunt, claudis nummum poſcentibus curſus donatus eſt, eleemoſynis inopum mortuus redditus, perſecutores facti prædicatores, diſſolutis catenis cantatum in carcere, in martyrio à martyre viſus in cœlis in eo, in quo elevatus eſt corpore, à dextris Dei ſedet, cujus in gloria & manebat, & permanet. Eadem fere tranſcripſit Caſſiodorus, & Bruno attingit. Valentia vero nominatim declarat de formatione Chriſti abſque ſemine viri ex ſolo opere Spiritus ſanctus ex puris ſanguinibus matris Virginis. Arnobius pro more ad Petrum hoc refert, profitentem ſe mira D Chriſti opera propriis vidiſſe oculis; & intime novit, atque credidit. Idem placuit Artino Alphonſo, quo Petrum inducit magnifica erga ſe Chriſti recenſentem opera & beneficia: tum vero quod non caro & ſanguis, ſed Pater cœleſtis myſteria revelaverit ei; eadem clarius poſtea cognituro in patria. Verum juxta obvium, & litteralem ſenſum, recte alio loco Chryſoſtomus *n* conſiderat multa eſſe, quæ licet miremur, non tamen cum timore, ut magnifica ædificia columnarum, ornamenta parietum, picturas corporum, flores & elegantiam. At maris vaſtitatem, immenſoſque gurgites, & altitudinem, non ſine metu inſpicimus. Sic & propheta cùm vaſtum id immenſumque divinæ ſapientiæ veluti mare inſpiciat, vertigine quaſi tentatus ſtupeſcit, ac ſummo cum timore demirans recedit, atque exclamat, &c. Vide modeſtiam famuli, nota animi gratitudinem, Gratias, inquit, propterea tibi ago, quod te Dominum habeo incomprehenſibilem, &c. Atqui hic eſt ille Propheta, qui *incerta*, inquit, *& oculta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi o*: verumtamen qui incer-

Senſus loci. · *l verſ. 6* · *m Joan. 10 38. cap. 14 11* · *n hom. 1. de incomprehenſibili Dei natura.* · *o pſ. 50. 8*

incerta, & occulta divinæ ſapientiæ percepit, de hac eadem ſapientia refert, immenſa eſt. Quippe qui *magnus Dominus dicat, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus a*, ideſt, nulla comprehenſio. Hactenus ea Chryſoſtomo; ex quo videtur Euthymius commentarium ſuum hic tranſcripſiſſe. Nicephorus autem explicat, quaſi dicat Propheta gratias ſe agere, quod cum timore miratur ſapientiam Dei, œconomiam, potentiam; & quod cognoſcat valde hoc ipſum, ſcilicet eſſe mirabilia opera ipſius, ut idcirco inquirat de illis. Non diſſimilis pſalmi 110. *b* ſententia. *Confitebor tibi Domine in toto corde meo, in concilio juſtorum, & congregatione. Magna opera ejus, exquiſita in omnes voluntates ejus, &c.* Quum ſit *magna potentia Dei ſolius, à ſolis humilibus honoratur c*, qui nimirum magnitudinem illam nimis, hoc eſt, valde cognoſcunt, ſive quod ſit magnanimis, quodque *ipſe magnus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non ſit finis d*. Auctor Eccleſiaſt. *e* exaggerat hoc multis verbis appellans *terribilem Dominum, & magnum vehementer, & mirabilem potentiam ipſius, & admirabilem magnificentiam, & majorem omni laude, ſupervalentem, & incomprehenſibilem*.

a pſ. 146. 5 · *b verſ. 1. 2* · *c Eccl. 3. 21* · *d pſ. 144. 3* · *e cap. 43. 29 & ſeqq.*

Confitebor tibi.) Additur *Domine* in Pſalterio Romano, vetere, Ambroſiano, apudque Auguſtinum, Proſperum, Caſſiodorum. Confeſſio autem laudis, & gratiarum actionis intelligitur.

Quoniam terribiliter magnificatus es.) Hieron. *magnificaſti me*. Ad verbum reddenda ſunt נוראות נפליתי *noraoth nipbleti, terribilia, mirabilis factus ſum*, ſive *mirificatus ſum*, ideſt, quia terribilia ſunt opera tua circa formationẽ meam; admirationemque efficiunt, & ipſe mirabilis factus ſum, hoc eſt, mirabili formatus modo. Vel terribilibus, ſive miris ac ſtupendis modis & operibus; terribiliter, & mirifice tremendis modis mirabiliter formatus ſum, ac ſegregatus. Cajetanus legens, *quod terribilibus ſeparatus, ſum*, explicat hominem factum mirabilem cunctis animalibus, quantumcumque terribilibus, ob rectam ſtaturam corporis. Nimis anguſte. Chaldaicè vero, *quia terribilia feciſti mirifice mirabilia edidiſti opera tua*. Legerunt LXX. in ſecunda perſona נפלית *niphletha*, non in prima, ut nunc C extat נפליתי *niphlethi*, quod eſt verbum in *niphal* paſſivæ vocis, quamvis Hieron. ut dixi, reddiderit in activa ſignificatione. Magnificans Deus hominem, & mirificans magnificatur & mirificatur, atque in ipſius gloriam redundat opificis, adeo magnificum & mirificum opus. Legunt, *mirificatus es* alia Pſalteria Latina, itemque Auguſtinus, Proſper, Arnobius, Caſſiodorus, & magis congruit Græco verbo ἐθαυμαστώθης, pro quo videtur Hilarius legiſſe ἐθαυμαστώθην, quia Latinè habet, *mirificatus ſum*, qua in re magis convenit cum Hebræo, & nunc extat נפליתי *niphlethi*, quemadmodum dixi. Terribiliter magnificatur Deus nunc in nobis, quoniam quo magnificentior erga nos, hoc terribilior nobis eſt expectatio judicii ejuſdem, ut ab iis plus requirat, exigat que quibus plus donavit *f*.

f Luc. 12. 48

Mirabilia opera tua.) Paraphraſtes, quem recitavi, ſic nectit. *Mirifice mirabilia edidiſti opera tua*, ſumens ex priore membro ultimum vocabulum. Eſt autem paronomaſia inter verbum נפלתי *niphlethi*, quod ibi eſt, & participium nomenve, quod hic extat נפלאים *niphlaim*. D *Mirificus*, ſeu *mirificatus*, *ac mirificans Dominus mirabilia opera facit*. *Mirificavit Dominus ſanctum ſuum g*, & *miſericordias ſuas h*.

g pſ. 4. 4 · *h pſ. 16. 7. pſ. 103. 28*

Et anima mea cognoſcit nimis.) Caldaicè, *evaſit ſapiens valde*. Quidam, *nimis*, aut *valde* מאד *meod* σφόδρα tranſpoſitum volunt, jugendum, quum *mirabilia opera tua*. Habent quidam codices Latini in futuro, *cognoſcet*, & pro *nimis valde*, ut alibi ſæpe. Varia tempora, præteritum, præſens, futurum, quibus variæ tranſlationes utuntur, innuunt continuum, ſedulum, ſerium ſtudium, meditationem commentationem circa admiranda opera Dei; quæ res hominem decet maxime, plurimumque confert ad excitandum, fovendum, augendum Dei amorem. Quo autem pacto animæ tribuatur iſta nimia cognitio, quum ante negaret ſe hanc aſſequi poſſe, docuimus in paraphraſtica enarratione. In futuro tempore aliqui obſervant ſpem perfectæ cognitionis beatificæ. Alii conatum in acquirenda magis ac magis cognitione operum Dei, per quam perveniatur ad majorem de eodem cognitionem, etiam in præſenti vita. Cajetanus denique vult hic indicari officiũ animæ intellectivæ, quod eſt ſcrutari opera Dei mirabilia, illaque laudare, quemadmodum paullo ante laudatum fuerat humanum corpus à recta ſtatura, quæ terrori eſt reliquis animalibus quamvis terribilibus.

A *Verſ. 15.*) Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.

REdit ad ſcientiam, & ſapientiam divinam, quæ viſitur in opificio humano. Ait autem, quod quodlibet ex tot oſſibus, oſſiculiſque, quibus conſtat corpus noſtrum, ac tota, ut ita dicam, oſſatura ipſius, Deo perſpectiſſima eſt, quia ille ipſe fecit eam in occulto, ideſt, intra matris ventrem, atque ſub pelle, carneque: item quod ejuſdem ſubſtantia corporis exploratiſſima eidem eſt in inferioribus terræ, hoc eſt, dum latet adhuc in imo matris utero, ſicut intra terræ viſcera metalla deliteſcunt, vel dum remotius continetur in infimo, ac viliſſimo elemento terræ, ex quo peculiariter cenſetur formari, quemadmodum Adami corpus ex terræ limo fictum narratur *i*, quod magna ſane dignum eſt admiratione. *Quomodo ignoras*, ait Salomon *k* (hunc, ut videtur imitatur locum) *quæ ſit via ſpiritus, & qua ratione compingantur oſſa in ventre prægnantis: ſic neſcis opera Dei, qui eſt fabrica-* B *tor omnium*. In ejus loci commentario nonnihil egi de hoc admirabili opere Dei, non ex ſacrorum dumtaxat, ſed & profanorum teſtimonio, atque de hoc ipſo noſtro verſiculo & ſequenti aliquid dixi. Inſpecto Galenus humano corpore diſſecto, ac diligenter conſiderato, dixiſſe fertur, per ſe quidem licere, ut alii Deum honorarent hecatombis, ſat ſibi decretum eumdem honorare, cujus in illo opere tanta ſapientia, potentia, bonitas proderetur *l*. Denique ſcribit *m* hujuſmodi opera non laudibus modo, verum etiam hymnis majora eſſe; quæ prius quam inſpexiſſet quidem, fieri non poſſe credebat, conſpicatus vero falſum ſe opinione comperit. Differit de hac re pie ac erudite Ludovic. Granatenſis *n*. Confirmat Chryſoſtomus iſtam ſcientiam, & providentia Dei, ut circa ſingularum corporis noſtri partium formationem verſatur, ſententia Chriſti; qua *omnes capilli capitis noſtri numeratos* aſſeruit *o* Euthymius præter hanc expoſitionem, affert iſtam aliam; ut David notam dicat Evam Deo, quæ ex oſſa Adami formata eſt quando & hic ipſe dixit, *hoc nunc* C *os ex oſſibus meis p*: formata vero in occulto, quum Adam extaſin pateretur. Ait etiam *in inferioribus terræ ſubſtantiam*, intelligi de corpore, quod noverit Deus poſt mortem in terræ profunditate abſcondendum. Hoc ultimum ſequitur Nicephorus, ut ſignificetur Deus noſſe ἀκριβῶς *exacte* καὶ τοὺς τῆς συμπήξεως λόγους, καὶ τοὺς τῆς διαλύσεως, *& rationes compactionis, & diſſolutionis*. Hilarius Eccleſiæ, quæ ſit ut altera Eva Paulo *q* exponente illud, *Hoc nunc o ex oſſibus meis r*, manifeſtata explicat à Deo myſteria ſive revelata parvulis, ut Chriſtus *ſ* dixit; & Chriſtum ipſam, quod eſſet futurus *in inferioribus terræ*, per omnia humilitatis officia: & quod Gentes futuræ cohæredes, & concorporales & comparticipes promiſſionis Dei in Chriſto; quæ res prius non *erat agnita t*. Idem traditor à Caſſiodoro; niſi quod *inferiora terræ* de Gentibus interpretatur, quæ ſordebant ideololatria, & iis nota facta eſt ſubſtantia Salvatoris; & ſic ſuperiores Judæis evaſerunt Bruno refert ad os pro vi rationali, quæ non ſit abſcondita, ut ienſis gladium abſcondit miles; ſed exterius D manifeſtata, dum bene videndo, & prædicando, glorioſum; ac magnum Deum oſtendit: præterea ad carnem, quæ vocatur ſubſtancia, exiſtens in hac terra inferiore obnoxia omnibus injuriis ejus, nec tamen etiam ſit abſcondita, verum per perſeverantiam bonæ operationis manifeſtata. Ambroſio *u* placuit prior allegoria Hilarii, ac ſi prædicatur hic, quod Eccleſia Domini omnia opera divina cognitura ſit, fidem reſurrectionis acceptura, utpote *os de oſſibus* Chriſti *x*: Auguſtini, & aliorum tropologia eſt, de oſſe fortitudinis, ac patientiæ, deque animæ interiore vi & firmitate adverſus tentationes, tribulationes, perſecutiones, quæ carni adhuc hic in inferioribus iſtis terre degenti, inferuntur: hoc os hominibus eſſe abſconditum, ſed non Deo, *qui videt in abſcondito y*: Chriſtum, qui de ſeipſo nunc loquatur, habuiſſe hoc robur in paſſione, quo tunc deſtituti ſunt diſcipuli, maxime Petrus: poſtea corroborati & confirmati per Spiritum ſanctum. Vocat alibi *z* Auguſtinus dictum os roboris animi occultum, non quidem Deo, ſed aliis, etiam ipſimet, qui habet illud; quoniam non niſi tentationis interrogatione ceteris, ipſimet habenti innoteſcit: ut idcirco poſt tentationem dictum ſit Abrahæ *a*, *Nunc cognovi*, ideſt, cognoſcere te feci, *quod timeas Dominum*, quia hoc os non eſt occultatum à Deo, *non ſinit quemquam tentari ſupra id, quod poteſt b*. Bernardus *c* accipit *os* pro rectæ firmi-

Senſus loci. · *i Gen. 2. 7* · *k Eccl. 11. 5* · *l 3. de uſu partiũ c. 10* · *m 7. de uſu part. c. 15* · *n 1. p. introd. in Symbol. c. 25. & ſeqq.* · *o Luc. 12. 7 Matt. 10. 30* · *p Gen. 2. 23* · Allegoria. · *q Eph. 5. 32* · *r Gen. 2. 23* · *ſ Matt. 11. 25* · *t Eph. 3. 5 16. Coloſſ. 1. 26* · *u in pſ. 50* · *x Eph. 5. 23* · Tropologia. · *y Matt. 6 46* · *z de ſancta virg. c. 44* · *a Gen. 22. 12* · *b 1. Cor. 10 13* · *c ſer. de cute, carne, oſſibus.*

firmitate intentionis, quod *confringi* non debeat *a*; quamvis conſumantur carnes, *pelli adhæreſcat b*. Idem *c* monet à Deo non eſſe occultatum os virium noſtrarum, quidquid valeamus; ſed nos nobiſmetipſis id facere occultum; quia vix eſt, qui experiri velit quid poſſit; & quod promptiſſime poteſt, quandocumque ſecundum carnem, vel ſæculum, ſive timor impulerit, ſive cupiditas traxerit. Ambroſius *d* argumentans contra Arianos, nomen *ſubſtantiæ* in Scriptura reperiri proprie, non pro patrimonio tantum, ſive pro opibus, &c. exponit virtuti & divinitati ea, quæ ante conſtitutionem mundi vel imperſpicabili majeſtate ſunt geſta, abſcondita eſſe non potuiſſe. Præterea in inferioribus Chriſti ſubſtantiam fuiſſe; quoniam, ut defunctorum animas in ſui corporis anima liberaret, vincula mortis ſolveret, peccata donaret, operatus eſt in inferno. Greveus *e* applicat hanc ſententiā ad abſconditos nobis, non autem Deo, reprobos, & electos; qui novit hanc veluti anatomiam hominum, cuſtoditque omnia oſſa electorum, ut *unum ex eis non conteratur f*: nullorum nunc ſubſtantiam eſſe in ſuperioribus terræ; malorum eſſe in infimis, ſeu in limo profundi, ubi nulla eſt ſubſtantia *g*; bonorum hic in inferioribus, hoc eſt, in infirmitate carnis; ibi in ſuperioribus cœli, quoniam in æternitate, juxta illud, *ſubſtantia h mea apud te eſt*.

a Exod. 12. 46. Num. 9. 12. Joan. 19. 20
b Job. 19. 20
c Ser. ad fratres de monte Dei.
d 3. de fide, cap. 7
e ſerm. 308
f pſ. 33. 21
g pſ. 38. 8
h pſ. 68. 3

Non eſt occultatum os meum à te.) Monent Auguſtinus, Arnobius, & alii, *os* hic eſſe, cujus obliqui caſus ſunt *oſſis*, *oſſi*, &c. non *oris*, *ori*, &c. & duo primi dici poſſe *oſſum* & Auguſtinus ait melius eſſe, ut ſic nos loquentes reprehendant Grammatici, quam non intelligant populi. Inde quoque colligit quāti referat codices interdum aliarum linguarum conſulere, & obſervat Græcè non στόμα eſſe, ſed ὀστέον, malleque ait, ſe cum barbariſmo dici, *non eſt abſconditum à te oſſum meum*, quam ut ideo eſſet nimis apertum, quia magis Latinum eſt. Homonymiam ſuſtulit Hieronymus vertens *oſſa*, quamvis Hebræum nomen ſit עצם *bhetſem* numeri ſingularis, collective videlicet poſitum pro pluribus; aut forſitan legit non עצמי *bhotſmi* numero ſingulari, ſed עצמי *bhotſmai* pluraliter. *Non ſunt operta oſſa mea à te*, ait in ſua translatione Hieronymus. Eodem modo reddit Nebienſis editionem Chaldæam, quamvis in Bibliis regiis extet nomen ſingulare *ſubſtantiæ*. Exponunt alii dictum nomen Hebræum, corpus, ſubſtantiamve corporis: quidam fortitudinem, roburve, quod certe conſiſtit maxime in oſſibus: nonnulli potentiam, ut philoſophice opponitur actui, ut ſi dicat David, ſe notum Deo fuiſſe, quando adhuc erat in potentia, nondum in actu, & alii perſpectum fuiſſe, quod futurus eſſet, & quid, & quomodo. Hoc poſtremo etſi verum, coactius tamen eſt. Aquilæ traslatio eſt οὐκ ἀπεκαλύφθη ὀστέα μου ἀπὸ σοῦ, *non ſunt abſcondita oſſa mea à te*. Symmachi οὐκ ἔλαθεν ἡ κραταίωσίς μου, *non latuit confirmatio mea*: ſeu *confortatio & corroboratio* quæ nempe ſit potiſſimum per oſſa: alterius οὐκ ἔμαθεν ἡ δύναμίς μου, *non latuit potentia mea*: per quam non tantum intelligi poteſt vis, & facultas agendi, ſed quam dixi, actui oppoſitam potentiam. *Oſſis & oſſium* notio retinenda eſt. Horum in humano corpore numerus dicitur eſſe ſupra quadraginta *i*, ex his *nullum occultatum à Deo*, ſive ut habet vetus Pſalterium, Auguſtinus, Ambroſius *k*, *abſconditum quod feciſti in abſcondito*.

Oſſium in humano corpore numerus.
i Galen. de fœtus forma cap. 6
k in pſ. 50

Quod feciſti in occulto.) Hieronymus juxta pluralem numerum oſſium, *quibus factus ſum in abſcondito*. Sed recitat ex eodem Trevetus in ſingulari hęc, & pręcedentia, *non eſt opertum os meum à te, quo factus ſum in abſcondito*. Hebræa אשר עשיתי *aſcer bhutſſethi*, patiuntur has omnes translationes: vel אשר *aſcer* poteſt ſignificare, *quando*, præterea, *quoniam*, & hoc ultimo modo ſenſus eſt; non quia factus ſum in occulto, ideo ullum oſſium meorum abſconditum eſt à te, à te enim ipſo ibi factus ſum. Aquila, ut refert Agellius, ὅτι ἐποιήθην ἐν ἀποκρύφῳ, *quia factus ſum in abſcondito*: Sed Teodoretus teſtatur apud eum eſſe οἷς, *quibus*, nempe illo modo, quo tranſtuliſſe dixi Hieronymum, Symmachus ἣν, nempe κραταίωσις *confirmatio*, &c. ἐποιήθην, ideſt, καθ' ἣν *ſecundum quam*: aut qua factus ſum ἐν τῷ κρυπτῷ *in abſcondito*. *Factum eſſe à Deo, & Deum feciſſe*, reciproca ſunt. Legerunt forſitan LXX. עשית *bhaſitha* in ſecunda perſona verbi *Kal*; quo etiam verba volunt magis elaboratum, & accoratum opus indicari.

Et ſubſtantia mea in inferioribus terræ.) Hieronymus, abſque conjunctione: *imaginatus ſum in noviſſimis terræ*. Qua ratione Symmachus videtur tranſtuliſſe ἐποικίλθην ἐν τοῖς κατωτάτοις τῆς γῆς *varie formatus ſum*, vel *variegatus in infirmis terræ*. Varia illa formatio, ſeu variegatio, & quaſi contextio polymita, atque Phygionica, & operis plumarii, veſtiſve variatæ, aut ſcutulatæ, juxtaque vim Hebræi verbi, quomodo extat רקמתי *rukkamthi*, denotat miram veluti artem, qua fœtus in ventre, qui per *inferiora* quoque *infimave terræ* intelligitur, ſecundum varia membra diſtinguitur, oſſium, nervorum, muſculorum, arteriarum, carnis, cutis; ita ut videatur, quod vocant multipliciter acu depictum tapetum, aut pannus pretioſus confectus, ut vulgo loquamur, à ricamo. Gallicè *à broderie, ou à brodure*. In pſalmo 44. *l* quod Latinè legimus, *circumamicta varietatibus*, Græcè quidem extat περιβεβλημένη πεποικιλμένη (quæ etiam prius ponuntur ibidem *m*) Hebraicè vero exprimitur per nomen cum articulo לרקמות *lirkamoth*. Sed hic legerunt LXX. modica facta mutatione litterarum & punctorum, quorum apud illos nullus adhuc uſus erat וקומתי *vekomathi*, *& erectio mea, ſtatura mea*: quum ſcilicet cœpi jam compactus ex oſſibus, aliiſque membris, veluti erigi, & conſurgere, & conſiſtere & ſubſiſtere; quam iidem LXX. nominaverunt B ὑπόστασιν. Vocant quoque קמה *Kamah*, *ſegetem adhuc ſtantem, in culmum erectam, priuſquam metatur*. Quo pacto ſignificaretur fętus ante egreſſum de ventre, & quaſi maturus ad meſſem, ideſt, ut excidat, & excidatur ex umbilico materno. Unde & dici ſolet *fructus ventris n*: & figurate *fructum dare terra o*, ideſt, maternus uterus. Quod de Virgine Deipara noſter Maldonatus *p* declarat; ſimul volens id innui per obumbrationem Spiritus ſancti quaſi per nubem ſuo imbre fęcunditatem; & per loci præſentis verba, *& ſubſtantia mea in inferioribus terræ*. Ob analogiam ventris & terrę ſepulchrive *q*, Job *nudum ſe dicebat egreſſum de utero matris ſuæ, & nudum reverſurum illuc*. Quamvis arbitrantur nonnulli *r*, per *uterum matris* intellexiſſe terram ipſam, de qua primus homo formatus eſt *ſ* ac reliqui deinceps ex eadem formari cenſentur: triſtiſſimum à Bruto terram oſculo, velut matrem attactam *t*; & ſolitum recens editum puerū in terra nudum conſtitui, eique tamquam matri tradi, ut alias dixi *u*; & plura Pineda noſter *x*. Hic rationem aſſignat quare mater omnium terra, ut etiam ſcribit Sapiens *y*, appellatur: quoniam C traditur terrę mortuus omni ſpoliatus hujus vitę præſidio jacetque in ſepulchri tenebris & anguſtiis tamquā in matris utero. Præterea, quia excipi videtur ut ſemen, & mortuum concipi ad novam vitam in reſurrectione. Non terra mulierem conceptu, partuque; ſed mulier terram, inquit Plato *z*, imitatur. Vidimus etiam pſalmo 62 *a inferiora terræ* ſumta pro ſepulchris, & quod Chriſtus *deſcendiſſe* ſcribitur *in inferiores partes terræ b*, quidam explicant non de inferno dumtaxat, vel ſepulchro: ſed etiam de utero matris. Jonas *de ventre inferi clamaviſſe ſe* cecinit *c*, hoc eſt, de ceti ventre, qui erat ſimilis inferno aut ſepulchro. Chriſtus etiam prædixit, *ſicut Jonas fuit in ventre ceti, ſic ſe futurum in corde terræ* *, hoc eſt, inferioribus partibus terræ, & in ſepulchro. Tandem Salomon *d* æque aſcribit inſatiabilitatē terræ, & inferno, & ori vulvæ. Hæc recte annotata ſunt à Pineda. Moneo dumtaxat, ut quum *in inferiora terræ deſcendiſſe Chriſtum* Apoſtolus *e* ſcribit, potius interpretemur de inferno, ſive limbo; ne faveamus negantibus deſcendiſſe quando mortuus eſt, ad inferos, ſed tantū ad ſepulchrum. Videri adhuc poteſt D uterus maternus, quod attinet ad formationem fœtus, deſcribi per *inferiora terræ*: quaſi dicas eſſe ſubterraneam quandā officinam a publico conſpectu remotam, & ad ſcalpendū, ſculpendum, cælandum, figurandum, fingendum comparatam. Verſatur ars in ſola ſuperficie; & Praxiteles, Phidias, aliuſve quivis ſtatuarius foris tantū ornavit materiam, qua ſcilicet parte licebat eam attingere; internam ejus partem, ait Galenus *f* illaboratam, otioſam, artiſque immunem, ac neglęctam reliquerunt: ut quibus in eam deſcendere, ingredique, ac omnes materiæ partes tangere minime licuerit. Natura non item, (& naturæ auctor Deus) ſed oſſis partem quamlibet os efficit, & carnis, carnem, & adipis, adipem. Nulla enim pars eſt, quæ ab illa non tangatur, aut operam ejus cultum effugiat. Sic figuratur fœtus extrinſecus, intrinſecus. Hoc modo princeps inter medicos. Lege quæ dixi ad illud libri Sapientiæ *g*, *In ventre matris figuratus ſum caro*, ἐγλύφην, *ſculptus ſum*. Ibi Matthæus Cantacuzenus obſervat, quod ſemen ingreſſum in alvum non quieſcit, ſed motu ſpiritum attrahit; ſpiritus vero, dum illud calefacit, intervalla quædam in tumores immittit, deinde conformatur, ac tamquam cælaturam, ac figuram quandā capit ſuę naturę accommodatam.

l verſ. 13
m verſ. 14
n pſ. 126. 3. 1. 11. Luc. 1. 42
o pſ. 66. 7. pſ. 84. 16
p in Luc. 1. 35
q cap. 1. 21.
r Chryſoſt. & Thomas.
ſ Gen. 3. 19
t Livius l. 1
u in Sad. 73
Ratio, cur terra omniū mater dicatur.
x in Joa. 1. 21. n. 3. & ſeqq.
y Eccl. 40. 1
z in Menix.
a verſ. 10
b Epheſ. 4. 9
c Jona 2. 3
* Matt. 12. 40
d Prov. 30. 10
e Eph. 4. 9
f de natural. facult. c. 3
g cap. 7. 2

Chaldaicè, *formatus ſum in utero matris meæ*, vel *figuram adepta ſunt*, nempe *oſſa mea* &c. Recole tandem, quod ante monui, Ambroſium *a* hinc argumentari adverſus Arianos, nomen *ſubſtantiæ* in Scripturis proprie accipi, non tantum pro patrimonio, ſive pro facultatibus.

a 3. de fide, cap. 7.

Verſ. 16.] Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes ſcribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.

Senſus loci.

AD oſtendendam, & commendandam Dei ſcientiam circa humani corporis opificium, hic etiam verſus pertinet. Ait vero David, quod corpus nondum perfectum, ſed adhuc informe, quodque appellant embryonem, Deus oculis perſpexit ſuis intra ventrem matris, probe intelligens quid inde fieri deberet, & quo demum evaſurum eſſet, ad quantamque perventurum & molem, & perfectionem. Ratio eſt, quoniam habet apud ſe, velut in libro, deſcripta omnium rerum exemplaria ideaſque in mente, ac memoria ſua: quemadmodum pictor, aut ſculptor intuens prototypum, vel in mente, vel expreſſum exterius, præcognoſcit quid in nuda tabella, vel ex rudi materia futurum ſit. Poſtremo aſſerit, quod humana corpora formabuntur in dies, atque pervenient ad finem, & quaſi metam in exemplari divino prævisam, ita ut nullum ordinarie ſit ex illis, quod non pertingat ad perfectionem debitam, vel cui deſit aliquid eorum, quæ naturaliter requiruntur. Nam abortivi, aut mutili ſunt peccata cauſſarum ſecundarum, non primæ. Aliter exponi poteſt, quod imperfectum adhuc Deus præviderit Prophetæ corpus: nec hoc mirum eſſe, quum in ipſius libro ſcribantur omnes homines, etiamſi per plures dies formandi ſint, & nemo in eis ſit, nimirum hominibus, qui non ſit relatus in illum Dei librum. Sic nempe fit; ut Deus perfecte cuncta noverit, quamvis confuſa in ſe, involuta, implicita, imperfecta; quia non pendet ſcientia illius ex rebus, prout exiſtunt extra cauſſas; ſed è contrario, certum eſt ita res eſſe futuras, quemadmodum eas præcognovit: unde & dixit *b*, *Priuſquam te formarem in utero, novi te*. Commodiſſime ad litteram hæc dici videntur. Nec diſcordat exponere, quod imperfectum vidiſſe dicantur oculi Dei humanum corpus, ac ſi in libro ejus univerſa ſcripta fuiſſent, licet diebus multis membra formata ſint, nec unum, ex eis eſſet adhuc, ſeu nondum ullus homo formatus. Non valde diſtat expoſitio Chryſoſtomi, præſeferentis tamen loci hujus difficultatem, item Teodoreti, & Baſilii, quod noverit Deus humanum corpus, quando adhuc fingitur, perinde ac novit corpus jam abſolutum, nullo ampliùs egens die ad ſui perfectionem, nec non omnia, quæ ſunt effingenda deinceps dierum continua ſucceſſione; quoniam omnium deſcripta clara, & certa ratio eſt in libro ſcientiæ divinæ. Hilarius allegoricè declarat, quod imperfectum Chriſti, ut ſignificat id, quod ſine operatione manet, & factum non eſt, ſed æternum, denique divinitatem illius, oculi ejuſdem, ſcilicet Apoſtoli (quos probat recte ita dici) viderunt; quia Chriſtus iiſdem dixit *c*, *Qui videt me, videt Patrem meum*: præterea quod Chriſtus petit à Patre *d*, ut hi oculi ſcribantur in Dei libro, ideſt, maneant in memoria æterna; quum contingat peccatores *de libro viventium deleri e*: poſtremo hic dici, quod *die replebuntur*, ſic enim legit) vel etiam *formabuntur*, *ut conformes ſint gloriæ corpori Dei*, & *parturiantur, donec formetur in eis Chriſtus f*, atque *repleantur ab ubertate domus divinæ g*, ac die, ſeu lumine, qui eſt Chriſtus ipſe, nemo autem erit in eis, hoc eſt, nulla cæterarum rerum affectio, quæ abhorrent à dicto die, luceque. Ambroſius videtur in primo ex dictis ab Hilario, concordare de Chriſto; ſed ſecundùm humanitatem, ſive corpus, quod *inoperatum* dicatur, (legit namque hoc pacto pro *imperfectum*) quia ſine aliqua operatione ſui formavit illum mater, in quam ſupervenit Spiritus ſanctus, inoperata eſt caro Chriſti, quantum ut Maria Virgo conciperet, inuſitato quodam, novoque incarnationis myſterio, ſine ulla virilis ſeminis admixtione, divinæ gratiæ diſpoſitione, quod erat carnis aſſumſit ex Virgine, atque in illa noviſſimi Adam immaculati hominis membra formavit. Rurſus *h* explicat hoc *inoperatum* tum de Chriſto ſecundùm divinitatem, eo quod non operis factura ſit Filius, ſed Verbum genitum poteſtatis æternæ, ſine alicujus creaturæ teſtimonio, ex Patre natum: tum propter incarnationem, quod non ſit A virilis copulæ uſus operatus, quia partus eſt Virginis. Auguſtinus, & alii referunt ad Chriſtum, cujus diſcipulorum paſſionis ejus tempore imperfectionem, præſertim Petri, qui negavit ipſum, & quem ipſe oculis reſpiciens ad pœnitentiam reduxit *i*, viderit Deus: deinde quod etiam imperfecti ſcribentur in libro Dei, dummodo, quantum in ipſis eſt, proficiant: hoc ipſum lego in Chryſoſtomi homilia quadam *k*: iterumque apud Auguſtinum *l*; *per diem errabunt*, (hoc modo legit Auguſtinus *m*) ideſt, circa Chriſtum, qui dies eſt, *& nemo in eis*, qui videlicet non erraverit, ne Petro quidem excepto. Huc accedit utcumque creditus Hieronymus, vocans altiorem intelligentiam, quod cunctos Deus dies formet, volens eſſe filios Dei: ſed nullus ſit in hominibus, qui non peccato ſiat obnoxius, & filius noctis eſſe incipiat. Idem ſibi volunt alii, quod moverit Deus imperfectum noſtrum ſecundùm animam, quodque nihil ſimus ex nobis, niſi maſſa informis; verum juxta deſcriptionem in libro vitæ formamur indies; & renovamur de die in diem, atque perficimur, donec conformemur imagini Filii Dei, & B *configuremur corpori claritatis ejus*. Favet in Soliloquiis *n* Auguſtinus, oſtendens à Deo omnia conſiderari, & curari. Præterea Cyprianus *o*, & Procopius *p* interpretantur de cognitis à Deo imperfectionibus vitiorum noſtrorum, etiam internorum. Bernardus *q* de imperfectis, qui quod poſſunt faciunt, & ſi quod debent non poſſunt. Dicas Deo, ait *r*, *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo* (nihilominus) *omnes ſcribentur*. Qui omnes? Profecto, qui in deſiderio proficiendi inveniuntur. Sequitur enim. *Dies formabuntur, & nemo in eis*, ſubaudi, peribit: dies proficientes intellige, qui ſi morte præoccupati fuerint, in eo quod eis deeſt, perficiendi ſunt. Arnobius exponit de corpore mortuo, etiam in inferioribus terræ conſiſtenti, quod ſolo aſpectu oculorum Chriſti exſurgat; quia in libro reſurrectionis omnes homines, qui nati ſunt, ſcribentur, quotquot ad diem formabuntur; *& nemo in eis*, qui non ſcriptus ſit; Caſſiodorus, & Rickelius Chriſtum inducunt loquentem, quod imperfectum ſuum paſſionis ſuæ, in qua triſtis fuit *ſ*, & alios defectus naturales, viderunt oculi Patris; præterea C quod adhuc Eccleſia uſque ad finem ſæculi congregetur, & beatis præmia promiſſa danda ſint: in libro autem Dei ſcribentur iidem beati; item, *dii firmabuntur*, (ſic enim Caſſiod. legit) ideſt, confirmabuntur in deitate illa participata, *& nemo in eis*, ſive ex *eis*, nempe infirmabitur, omni carnis fragilitate exploſa, diſcedente, omni mortalitate conſumta, diſperiente. Idem fere habet Bruno: diſcrepat ſolum, *quod in libro ſcribi* explicat, conformari per imitationem Chriſto, qui liber dicatur. Hugo conſentit: *dies* autem *formari*, ideſt Apoſtolos, & neminem ex aliis, qui formabuntur, formandum ex eis, ut denominentur à Petro, vel Paulo, &c. ſed à Chriſto Chriſtiani. Nazianzenus *t*, cujus meminit hoc etiam loco Euthymius, (Nicephorus autem quoque idem, quamvis nomine tacito, habet) quaſi legiſſet, *die*, aut *per diem formabuntur*, explicat de formatione optima, & mundiſſima, & in luce ſancti Spiritus, quæ formationi materiali, atque ut ita dicamus, nocturnæ, eſt contraria, & in eis, qui ſcripti ſunt in libro Dei, hoc eſt, juſtorum, nemo eſt, qui ſpiritualiter eo pacto formatus non ſit con- D innatus, ac directus. Verba Nazianzeni ſunt, καὶ πειθέσθω γε τὸ μηδ' ἂν δύνασθαι τὴν βασιλείαν ἰδεῖν, ἢ λαβεῖν, ὅτις μὴ ἄνωθεν ἐγεννήθη πνεύματι καὶ τὴν προτέραν ἐκκαθαρθείη γέννησιν ἣ νυκτός ἐστι μυστήριον ἡμερινῇ καὶ φωτεινῇ διαπλάσει ἣν καθ' ἑαυτὸν ἕκαστος διαπλάττεται, *perſuadeas autem tibi neminem poſſe regnum videre, aut accipere, qui non deſuper natus fuerit ſpiritu, & ſecundùm priorem purgatus fuerit nativitatem, quæ noctis eſt myſterium, & per diurnam, & claram formationem, qua per ſeipſum quiſque formatur*. Scholiaſte Nicetas *u* notat huc alluſiſſe Nazianzen. & formationem, quæ die fit, eſſe, quæ in lumine ſancti Spiritus; nec modo per Baptiſmum, ſed etiam per virtutum exercitium, ac utramque per liberam voluntatem, (cùm ſunt adulti) atque ſine ullo corporum congreſſu, & conjunctione, quæ noctu fit ut plurimum, tamquam obſcœna, & ſordida. Idem Auctor eadem repetita explanas aliam orationem Nazianzeni *x*, docens dici diurnam nativitatem Baptiſmi, ſive quia diurno tempore ut plurimum celebratur, ſive propter excellentem illius ſplendorem, & virtutem. Iſidorus Peluſiota *y* dupliciter explicat: tum quaſi Adam loquens dicat, Id, quod nondum factum eſt, velut confectum perſpicis; & eos, qui nondum nati ſunt, perin-

b Jerem. 1. 5
Allegoria.
c Joan. 14. 9.
d cap. 17. 9. & ſeqq.
e pſ. 68. 29
f Galat. 4. 19
g pſ. 64. 12
h de inſtit. virg. cap. 16.
i Luc. 22. 61. 62.
k 3. de fide, cap. 7
l in id Eſ. 62 Gaude Sion, &c. tom. 8
m lib. 1. de Baptiſ. c. 15.
n cap. 14.
o de lapſis.
p in Eſa. cap. ult.
q de diligen. Deo.
r ſerm. 45
ſ Matt. 26. 38.
t orat. 44. de Pent.
u ib. num. 21
x in orat. 40 in ſanctum Bapt. num. 1.
y lib. 1. epiſt. 331.

proinde ac jam in lucem editos noſcis: tum quaſi quivis juſtus dicat, Innocentiam meam, animique ab improbitate puritatem, atque id, quod minime egi, viderunt oculi tui: quoniam opus plerumque animi conceptio appellatur. Eucherius a quoque duas tradit expoſitiones: quod oculi Domini hominem etiam, priuſquam formetur, agnoſcunt; & cogitationes noſtras etiam antequam perficiantur, introſpicit: in libro autem ejus omnes ſcribuntur, quia omnes homines, non abſque ejus voluntate naſcuntur: vel omnes voluntates noſtræ apud eum pleniſſime deſcribuntur: *die replebuntur*, (ſic enim legit) ideſt, Chriſto, *& nemo in eis*, hoc eſt, præter Chriſtum nemo in eis erit, qui Deo pleni, ea, quæ Dei non ſunt, recipere non poſſunt.

a In quæſt. V. T.

Imperfectum meum viderunt oculi tui.] Hieronymus, *informem adhuc me*. Cui ſimilis translatio Symmachi, ἀμόρφωτόν με vel με, προεῖδον, vel ἴδον οἱ ὀφθαλμοί σου, *informe me*, vel *meum præviderunt*, vel *viderunt oculi tui*. Nomen Hebræum cum pronomine affixo, גלמי *golmi*, ſignificat materiam corpoream fœtus adhuc involutam, & implicitam, ſuaque privatam formatione perfecta, B non ſolum quantitate, & organi, cæteriſque conditionibus ad prodeundum neceſſariis, quem vocant *embryonem* Græca voce. Eadem illa Hebræa nominant Rabini quoque tum vas quodvis nondum efformatum, tum hominem rudem abſque ſapientia. Ultimæ fortaſſis rationem notionis habuit Arabica translatio, *principium operum meorum viderunt oculi tui*. Præterea Cambenſis, qui reddidit, *errores meos*. Et expoſitio ex Cypriano, atque Procopio prius allata de vitiis internis, favet, necdum in opus deductis. Græcum nomen eſt τὸ ἀκατέργαστον. Hilarius explicat id, quod ſine operatione maneat, ut ſit id ipſum, quum factum tamen non ſit. Accommodat deinde ad generationem æternam Filii Dei, eo modo, quem retuli: ſicut & Ambroſius b, qui vertit *inoperatum & increatum*: licet ſimul de myſterio incarnationis exponi teſtetur, ut etiam dixi. In Pſalterio Ambroſiano eſt, *inoperatum meum*. Legit Cyprianus, c *quod eſt imperfectum meum*. Creditus Hieronymus ait, *imperfectum* hic pro *incompoſito* poni, atque ſignificari; quod etiam elementa hominis antequam formentur in utero, cognoſcat Deus. C Verus autem Hieronymus alibi d citat, *incompoſitum meum*, & declarat de ſemine, quod jacitur in vulvam informe, ut ſulcis & fundo ejus quaſi quodam glutino adhæreat. Diceres *inelaboratum*, *impolitum*, *rude*. Epiphanius e vocem Hebræam exponit *grumum*, aut ſimilæ granum, nondum in panem coactum, aut ſubactum, ſed tamquam è putamine tritici diviſum grumum, aut farinæ globum, aut minutum calculum, qui è ſimila fit. Tum docet huic ſimilem eſſe hominis fornicationem ex ſemine, quod exciditur ab alio homine. Richardi ſancti Victoris f allegoria eſt, ut Chriſtus loquatur ad Patrem, *Imperfectum meum*, non quemlibet, *viderunt oculi tui*, hoc eſt, qui veram juſtitiam habeat, licet nondum perfectum; talem, quum exit de corpore, reſpici intuitu divinæ gratiæ, ac reſpectu.

b 3. de fide, cap. 7. & de inſtitut. virg. cap. 16
c de lapſis.
d in epiſt. ad Galat. 4
e hæreſ. 39
f annot. in Pſ. Allegoria.

Et in libro tuo omnes ſcribetur.) Sic etiam Hieronymus, Particula *&* ſumi poteſt pro *quia*, vel *ac ſic*, vel *cum*, nempe ut ideo videant tam perſpicaciter oculi Dei, quia omnes homines ſcribentur, ſive ſcripti ſunt, & ſcribuntur, ſcribique ſolent: aut quum ſcribantur, &c. aut ac ſi D ſcripti eſſent. Poſſet כלם *chullam* omnis generis nomen, omnes res, non homines tantum, ſignificare. Sed πάντες, & *omnes* referuntur ad homines; quoniam de corporis humani formatione ſermo eſt. Paraphraſtes exponit *dies*, *& in libro memoriæ tuæ omnes dies ſcripti ſunt*. De multiplici libro Dei egimus pſalmo 8. g. Videtur hoc loco pro univerſali ſcientia Dei ſumi. Quod Peluſiota h declarat, καὶ οὐκ ἔστιν ὃ μὴ συνιεῖς ἢ λανθάνει σε, *nihil eſt, quod non intelligas, aut quod te lateat*; nec non περὶ τοῦ ἀλήστου τῆς μνήμης αὐτοῦ, *de memoria ejus*, in quam non cadat oblivio. Citatus Epiphanius explanans, cum hoc, alium Eſaiæ i locum, videtur nomine *libri*, ventrem fœminæ generantis intelligere, ſaltem quod attinet ad verba Prophetæ. Lege in ſecundo libro Bibliothecæ Sixti Senenſis, quæ tractat de ſigillorum ſeptem libro, & de ſignato libro, & de libro vitæ.

g verſ. 24
h lib. 1. epiſt. 331
i cap. 4

Dies formabuntur.) Hieronymus, *formati ſunt*, nimirum in præſcientia Dei, ut exponit Trevetus. In Romano Pſalterio, ut à Fabro, recitatur, *Dies firmabuntur*, id enim quo utitur Vaticana Baſilica, non differt hac in re ab editione noſtra. In Pſalterio vetere, & apud A Auguſtinum *per diem errabunt*: Legit Hilarius, *die replebuntur*, Ambroſianum Pſalterium, *per diem formabuntur*. Caſſiodorus, *dii firmabuntur*: quamvis expoſitio ejuſdem indicet legiſſe, *dies* quæ eſt lectio Romani Pſalterii, teſte Fabro, ut dixi, quam lectionem ſequi ſolet Caſſiodorus. Meminit Brugenſis inter varias lectiones, etiam iſtius. Diſcrepantia hæc tanta orta eſt ex varia lectione verbi Græci. Nam pro πλασθήσονται, ut nunc extat, & ſolum congruit cum Hebræo יצרו *iutſaru*, *formati ſunt*, aut *formabuntur*, πληθήσονται, ſignificabit *replebuntur*: πλανηθήσονται *errabunt*, vel etiam πλασθήσονται, non à πλάττεσθαι quod eſt *formari*, ſed à πλάζεσθαι, quod *errare*. Cui autem verbo Hebræo, vel Græco reſpondeat, *firmabuntur*, non reperio. Qui *dies* ab Interprete dicuntur in recto caſu, & Hebraice in quolibet caſu ימים *iamim* in textu Græco exprimuntur per ἡμέρας, vel genitivi caſus numeri ſingularis vel accuſativi in numero plurali; & ſubaudiri debet διὰ, vel κατὰ *per diem*, aut *ſecundum dies*; & Interpretis translatio poteſt ſumi, vel ut dies ipſi formari dicantur, quo modo ἡμέραι legendum B eſſet, ut eſt in Bibliis Græcis Complutenſibus, Regiis, & aliis: vel omnes homines ſecundum dies, ſeu per ſingulos dies, ſeu in dies, ideſt, ut per plures dies duret eorum formatio intra matris ventrem.

Et nemo in eis.] Hieronymus, *& non eſt una in eis*, Trevetus legens, *unus*, & referens ad *dies formati ſunt*, explicat quod formati ſunt in præſcientia Dei, ſed in propria exiſtentia, & temporaliter nondum ſunt. Alii referunt ad membra, quod nullum in eis ſive ex eis ſit actu in illo imperfecto, & informi, de quo prius dictum eſt, ſed tantum in potentia, formentur autem ſucceſſu dierum. At maſculini generis, *nemo*, & οὐδεὶς multo magis non poteſt jungi cum diebus quæ Græce ſunt fœminini generis ἡμέρας; licet Latine poſſint eſſe quoque maſculini; ſed ad homines: ut ſit ſenſus, quod nemo in eis eis integer eſt: priuſquam per dies formetur, aut *nemo in eis*, ἐν αὐτοῖς quod ad ἡμέρας etiam referri nequit, ſed ad homines; *nemo*, inquam, *in eis*, ſeu ex eis & inter illos homines eſt, cui quidquam deſit, quando formantur, ordinarie loquendo: aut *nemo in eis*, hominibus, C qui non ſit ſcriptus in libro Dei, & ipſi optime cognitus per ſingulos dies, quibus formatur, vel etiam vivit. Symmachus legit in fœminino, & de die expoſuit οὐκ ἐνδεούσης οὐδεμιᾶς ἐν αὐτοῖς, *non deficiente ulla die in ipſis*, nempe hominibus, qui formantur per dies, at nulla die deficiente ex eis, quæ conſtitutæ ſunt ætati cujuſque, qui ex informi materia pervenit ad perfectam formationem, ætatemque convenientem, ſeu periodum vitæ. Aquila item fœminino genere tranſtulit οὐ μία ἐν αὐταῖς, *& non una in eis*, nempe diebus, quia generis fœminini eſt αὐταῖς ſicut & nomen ἡμέρων. Chaldaice tota ſententia ſic redditur, *corpus meum viderunt oculi tui, & in libro memoriæ tuæ omnes dies ſcripti ſunt: in die qua creatus eſt mundus eſt mundus, à principio creatæ ſunt omnes creaturæ in ſex diebus, nec electus eſt dies ullus in eis*. Vel juxta textum & translationem Nebienſis; *corporeum meum viderunt oculi tui, & in libro memoriæ tuæ omnes dies mei ſcripti ſunt, in die qua creatus eſt mundus à principio creatæ ſunt omnes creaturæ, & non in uno die unico in illis*. Quaſi velit exprimi hoc loco creationem ſex diſtinctis diebus D perfectam.

Verſ. 17.] Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui, Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum.

Verſ. 18.] Dinumerabo eos, & ſuper arenam multiplicabuntur, exſurrexi, & adhuc ſum tecum.

PRorumpit in exclamationem præ admiratione, aſſerens mirabilia quidem eſſe opera Dei circa corporis humani formationem, ſed altius conſcendendo meditatione ad munera, ornamentaque animæ, quæ Deo reddunt homines amicos, ſeu quibus illos ipſe amicos facit ſibi, ait, quidquid judicent alii, de cæteris naturæ, vel fortunæ, ut vocant, bonis, eos demum apud ſe in ſummo honore eſſe, quos videat honorari tant opere à Deo, ut ex ſervis, ac ſubditis jure creationis, & omnium natura donorum, reddiderit amicos per gratiæ chariſmata, ac veluti ſodales, & ſocios ejuſdem principatus, imperii, poteſtatis, dignitatis, diſtinguens varias quaſi turmas, copias, ordines, quibus eos præfecit, & innumerabili

cui.

cuidam eorum multitudini, comparabili cum arena maris, ejuſque etiam numerum excedenti. Tandem affirmat ſe in hujus rei conſideratione minime deſidem futurum, ſed erecto ſemper, vigili, attentoque animo de illa cogitaturum, & cum Deo ipſo ſemper futurum, ut numquam mens abſit ab illo, nec deponat umquam memoriam ipſius, verum perpetuo præſens ipſi ſit Deus, atq; ipſum præſentem habeat, at præ oculis intellectus, illi uni fidat, ei, adhæreſcat, ab eo totus pendeat, quod alibi a dixit, *Et ego ſemper tecum*. Præterea, quia in prima Pſal. parte concinerat Propheta omnia ſua perfecte Deo cognita, nempe actiones, cogitationes, locutiones: hic addit ſe ea ipſa de cauſſa, ſcilicet ob adeo perfectam ſcientiam, quam Deus habet, excitari ad amicos ipſius, quos peculiariter ipſe noſſe dicitur, diligendos, ut contra ad deteſtandos inimicos, & ad ſeſe offerendum propter bonæ conſcientiæ teſtimonium & deſiderium placendi Deo, probationi illius omnia cognoſcentis. Accommodatur poſtremum membrum etiam ex uſu Eccleſiæ in Introitu Miſſæ Paſchalis ad Chriſtum reſurgentem: priora ad Apoſtolos in Introitu quoque Miſſæ, & in Officio de iiſdem. Hilarius amicos interpretatur ad Evangelium Pertinentes, de quibus Chriſtus b, *jam non dicam vos ſervos, ſed amicos*: videlicet Patris quoque amicos, quoniam ab ipſo amari eos teſtatus eſt c, omniaque quæ ſint ſua, Patris eſſe d etiam: hoc autem ipſo honorificatos cenſeri, quia amici Dei facti, quia *die pleni* (juxta unam lectionem verſus præcedentis) *& in his nemo eſt*, prout ibidem idem Doctor expoſuit; Confortatos principatus (legit namque pluraliter) ob Eccleſias ab ipſis cœptas, à fortibus principibus conſtitutas, maximoque quodam numero multiplicatas. Deinde ultimum refert membrum ad Reſurrectionem, de qua Chriſtus inducatur loquens; ut de præterita, quia Deo ob ſcientiam, atque virtutem, quæ futura ſunt facta ſunt; & dicere *tecum ſum*, quia nondum erat illius tempus, ante tempus videlicet paſſionis. Auguſtin. item, Proſper, Caſſiod. Latini paſſim reliqui de Apoſtolis explicant, & de Reſurrectione Chriſti, qui dicat ſe adhuc eſſe cum Deo, quia non ſtatim à Reſurrectione agnitus ab iis eſt: vel quoniam toto hoc tempore adhuc eſt ad dexteram Patris occultus, nec dum plene in claritate, qua venturus eſt ad judicandum revelatus, patiens quodammodo per commixtionem peccatorum in Eccleſia, & ſeparationem hæreticorum. Ex Græcis Euthym. placuit eadem de Apoſtolis allegoria. De martyrum innumerabili, maximeque honorato exercitu Gregor. e egregie declarat, (de quo ipſi etiam alias f egimus, quum de ovibus occiſionis) & principatum in eo eſſe obſervat, quod carnem domaverunt, ſpiritum roborarunt, dæmonibus imperarunt, virtutibus coruſcarunt, præſentia deſpexerunt, æternam patriam cum voce, & moribus prædicarunt, eam etiam moriendo dilexerunt, atq; ad illam per tormenta pertigerunt; Occidi potuerunt, & flecti nequiverunt. De numero autem notabilem iſtam profert ſententiam: [Totum mundum fratres aſpicite, martyribus plenus eſt. Jam pene tot, qui videamus non ſumus, quot veritatis teſtes habemus.) Appellat etiam cædem iſtam magnam nimis, juxta illud ex primo libro Regum g, & *cædes* ſeu *plaga magna nimis*. Excepto numero cetera conveniunt etiam Apoſtolis, qui & ipſi martyres fuerunt. Hugo demonſtrat multis modis honoratos Apoſtolos à Chriſto, vocando eos in propria perſona h: eligendo eos i: poteſtatem facienda miracula tribuendo k; familiaritatem cum eis habendo l in propria perſona, eos docendo m; ſecreta ſua eis manifeſtando n; poteſtatem judiciariam eis conferendo o: eos fratres ſpiritualiter vocando p, poſt Reſurrectionem eis apparendo, & comedendo, & de Regno Dei loquendo q; Principes Eccleſiæ faciendo r; eos teſtes ſuos conſtituendo ſ: nimis confortatos eſſe, quoniam *induti virtute ex alto* t: principatum obtinuiſſe in Eccleſia, & Epiſcopales Cathedras; quas in Eccleſiis inſtituendis, diviſis per mundum ſedibus; ſanctarum prædicationum opere fundaverunt, veluti Duces Eccleſiarum, arietes gregum, Principes populorum. Dinumeratos illos, quos in fide genuerunt, prope innumerabiles repertos, ac ſuper arenam multiplicatos, ideſt, ſuper Judæos, qui propter ſterilitatem arena dicuntur: fideles vero Gentiles in ea promiſſione, quæ facta eſt Abrahæ u, tamquam ſtellæ cœli: exſurrexiſſe Chriſtum poſt mortem; & adhuc eſſe cum Patre, illis modis, quos ex Auguſtino retulimus. Gregor. x ait Davidem prædicatorum ſanctæ Eccleſiæ vitam conſide- A rando, valde hic admirari, & de illis loqui, quibus Chriſtus dixit y, *vos amici mei eſtis*. De dignitate Apoſtolatus diſputatio loco præſenti non importuna eſt. At nos tùm in Commentario Actuum Apoſtolorum tùm in hoc ipſo Pſalmor. opere, & in aliis non pauca diximus, quæ repeti non debent. Alia tamen adjiciam. Et primum quidem quod inter varios gradus, ordineſque Eccleſiaſticos Paulus z ante alios recenſet bis Apoſtolos, etiam antè Prophetas, licet & Apoſtolis prophetia non defuerit, juxta illud a: *Mitto ad vos Prophetas*, &c. Dum etiam ſolos nominat cum Prophetis Apoſtolos, adhuc illos poſtponit b, ut Ambroſius admonet c habita ratione ordinis inter fundamenta, ut antiquiores Prophetæ, potius diſpoſuerint, Apoſtoli magis proprie fundamenta jecerint. Procopius d tractans verba Domini ad Eſaiam e, *Quem mittam? & quis ibit nobis?* & ſimilia recitans ejuſdem Domini ad Moyſen f; *Sed veni mittam te*, πρὸς πάντας, *ad omnes* notat, quoniam Apoſtolos primum, deinde Prophetas poſuit g Deum, ob id primum Apoſtolatus gratiam iſtos accepiſſe. Hæc enim eſt etymologia Apoſtoli, quaſi dicas *miſ*- B *ſum*; *non h enim eſt major Apoſtolus, eo, qui miſit illum*, de qua notione Tertullianus i, & Iſidorus k. Poſſet vero Procopii notatio illuſtrari exemplis, Joannis, qui ſcribitur *fuiſſe homo miſſus à Deo* l, & Chriſti, *qui miſſus* quoque *Evangelizare* m. Miſſi ſunt à Chriſto diſcipuli ſeptuaginta duo n, ſed penes duodecim ſolum nomen abſolutum Apoſtolorum, eodem Auctore Chriſto, remanſit: quia cum amplitudine poteſtatis in Orbem univerſum, ſalva in Petro dignitate capitis, & quod eſſet ordinarius generalis paſtor ſimpliciter, alii tamquam delegati, & ob alias cauſſas alibi allatas. Valde porrò facit ad honorem Apoſtolorum, quod nonniſi poſt orationem Chriſti, ab ipſo ſunt electi o; quodque tam enixè pro illis Patrem oraverit ſub mortem, & *miſſos à ſe* dixerit *ſicut ipſemet miſſus eſt* p. Ratio ſimilitudinis eſt, quia Chriſtus etiam, ut Deus miſit, quemadmodum, ut homo miſſus fuerat ad prædicandam veritatem, & hanc operibus confirmandam cum poteſtate miraculorum, ac uſque ad effuſionem ſanguinis. Paulus dignitatis magnitudinem æſtimans, vocabat ſe *minimum Apoſtolorum, & indignum, qui vocaretur Apoſtolus* q. C In Symbolo quoque Niceno *confitemur Eccleſiam ſanctam Catholicam, & Apoſtolicam*. Anſelmus r, ac Aquinas ſ officium Apoſtolicum præferunt officio Joannis Baptiſtæ, quoniam per ſe referebatur ad efficiendos Dei filios, & generandum Chriſtum in nobis, & poſterior t, pronunciat eſſe temerarium, ac erroneum aſſerere ullum ſanctū poſt Chriſtum, & Beatam Virginem, gratia majore præditum, quam Apoſtolos; quin etiam videtur majorem illis gratiæ abundantiam tribuere u. Clemens Alexandrinus x docet in Apoſtolis collectas virtutes omnes reperiri, quæ in diverſis Eccleſiæ ſtatibus, ordinibuſve ſparſæ ſunt, nimirum, ſive conſideres copiam doctrinæ, de qua Philo Carpathius y; Cyrillus Jeroſolymitanus z, Cyprianus a. Ambroſius b, Auguſtinus c, Gregorius d, Hieronymus e, quive pro hoc habetur: ſive abundantiam gratiæ, quas Paulus vocat *primitias ſpiritus, divitiaſque gratiæ quæ ſuper abundavit in ipſis, in omni ſapientia, & prudentia* f. Quare licuit cuivis Apoſtolo condere Scripturam Canonicam; ſunt præterea omnes confirmati in gratia poſt Pentecoſten; & credibilius, eſt, numquam D fidem amiſiſſe, (quod ambigunt nonnulli nominatim de Thoma) & de utroque certos factos, & utrumque ſpectaviſſe ad totum ordinem Apoſtolicum; quamvis nonnullis aliis poſtea conceſſum fuerit fortaſſis, nempe non errare in fide, nec mortaliter peccare. Affirmat Ambroſius g Apoſtolus à peccatorum labe mundatos, & ſuper lac candidiores factos, maculam nullam poſtea (ſaltem graviorem) fuſcaviſſe, & gratiam illorum perpetuam manſiſſe. Irenæus h vult in rebus fidei definiendis, ſeu potius declarandis, ut ad fidem pertinentibus, provocandum Apoſtolos, negatque Waldenſis i, Canus k, Caſtro l, novam revelationem expectandam incognitam Apoſtolis. Refellit idem Caſtro m Joachimum Abbatem & Petrum Joannis, quia negaverunt Apoſtolos prædicaſſe Evangelium juxta ſpiritualem intelligentiam, ſed tantum ſecundùm litteram, illo autem pacto à Monachis Benedictinis, de qua familia Joachim erat, vel à Franciſcanis, de quibus Petrus Joannis prædicari. Promiſſus denique Apoſtolis peculiariter honor ille, ut cum Chriſto judicent n, nempe publicè, palamque approbando ſententiam, quam Chriſtus proferet, ei aſſidendo in propriis quibuſdam prope Chriſtum ſubſelliis, & veluti

magis

a Pſ. 72. 23.
b Joa. 15. 15
c cap. 16. 27.
d cap. 17. 10
e hom. 27. in Evang. & in 1. Reg. 14. l. 5. & lib. 7. ep. 29.
f in Pſa. 43. 22.
g cap. 4. 10.
Plures modi quibus honorati fuerint Apoſtoli.
h Mat. 4. 18 21.
i Joan. 6. 70. c. 13. 18. c. 15. 16. 19. Luc. 6. 13.
k Matt. 10. 10 Marc. ult. 17. 18. Luc. 19.
l Act. 1. 23.
1 Joan. 3. 4.
m Luc. 10. 23. Joa. 15. 15
n ibid.
o Matt. 19. 28.
p ca. ult. 10. Joan. 20. 17.
q Act. 1. 3.
r Matth. 16 18. 19.
ſ Act. 8. 8.
t Luc. ult. 49
u Geneſ. 22. 16. 17. 18.
x hom. 18. in Ezech.
y Joa. 15. 13.

Apoſtolorum dignitas.
z 1. Cor. 12. 18. 29. Eph. 4. 12.
a Matt. 23 34
b Eph. 2. 20
c ibid.
d in Eſ. 6
e cap. 6. 8
f Exod. 3. 10
g cap. 1. 7.
Etymologia Apoſtoli.
h Joa. 13. 16
i de præſcr. cap. 20.
k 1. de Offic. cap. 5.
l Joan 1. 6
m Eſa. 61. 1 Luc. 4. 18
n Luc. 10. 1.
o ca. 6. 12. 13
p Joa. 17. 2. 8. 18. 21. 23. 25. c. 20. 21
q 1. Cor. 15. 9
r in Matt. 3
ſ ibid.
t in 3. 1. ad Epheſ lect. 1
Nullus S. poſt Chriſtum & B. Virginem majore gratia præditus quam Apoſtoli.
u in Epiſt. ad Rom. 8. lect. 5.
x 4. ſtroma.
y in Cant.
z Catech. 14 & 15.
a Epiſt. 74
b in Pſ. 37. & Pſal. 118 oct. 5. & ſer. 23
c 5. de bapt. cap 20.
d in Pſal. 3 pen. & hom. 16. in Ezec.
e in Pſ. 86
Apoſtolos numquam amiſiſſe fidem, credibilius eſt.
f Rom. 8. 23 Epheſ. 1. 8. 2 Theſſ. 2. 12.
Allegoria.
g de Bened. Patriar. c. 4
h l. 3. cap. 2. & 4.
i 2. doctrinalis cap. 22
k de locis c. 7. lib. 4. c. 4
l 3. de hæreſ. cap. 8
m verbo Apoſtoli.
n Matt. 19 28.